Österreichische Nationalbibliothek

Introductio In Sacros Libros Novi Testamenti : [1]

Autor: Márkfi, Samu János
Ort: Budae, Budapest
Jahr: 1856

Zitierlink: https://data.onb.ac.at/rep/107759AA
Signatur: 444-B.1
ID: 107759AA

Digitalisiert mit Google

Umfang: Seiten 1 bis 294 (Komplettes Werk)
PDF erstellt am 04.09.2026 05:43

Nutzungsbedingungen:https://www.onb.ac.at/nutzung
Rechtehinweis:https://rightsstatements.org/vocab/NoC-NC/1.0/

Hinweis: Der Volltext wurde maschinell generiert und könnte aufgrund von OCR-Erkennungsfehlern Ungenauigkeiten oder fehlerhafte Zeichen enthalten.

KAIS.KÖN.HOF- BIBLIOTHEK
444-B
Neu-


S.A. 1. H. 70.
Pars. I. 2.

444-B.

Österreichische Nationalbibliothek
+Z224010408



INTRODUCTIO

IN

SACROS LIBROS NOVI TESTAMENTI.

PARS GENERALIS.

In usum Auditorum scripta

a Samuele Márkfi,
Prof. publ. O. S. B.

BUDAE,
TYPIS CAESAREO-REGIAE UNIVERSITATIS PESTINENSIS
1856.

Post priorum studia, in domo Domini quod possumus laboramus.

S. Hieronym. ep. ad Desiderium.



Accipite, optimi Auditores, Introductionem ad hortum biblicum, quem Dominus Deus plantaverat ad orientem, et arbore vitae locupletaverat. Viam vobis ostendo, non quam ipse invenerim, sed quae per 18 saecula multorum vestigiis trita est et illustrata. Quem in ea ducem sequamini §-us 4-us docet; me tantum benevolum comitem admittite, quem si vestra juvenili alacritate paullo post praeveneritis: valete in Domino, et mementote mei.

Pestini, feria 3-a Pentecostes 13. Maji 1856.

S. M.

Cum permissu Superiorum.

Praeviae notitiae.

§. 1.

De studio sacrae scripturae.

Ex innumeris, qui unquam lucem conspexerant, libris praecipua ratione excellunt biblia christianorum, *κατ' ἐξοχήν* sic dicta, utpote Deo auctore exarata, historiam et doctrinam incomparabilem, hominisque summum bonum tractantia. Hos libros possidere, eorumque argumentum sibi familiare reddere, plurimi quidem omni tempore contendebant: ecclesia vero catholica, cui specialiter ad usum traditi fuerant, eos etiam velut fontes credendorum et agendorum sub cultu divino publico tractari voluit, sicque ipsis characterem tabularum publico-authenticarum impressit. Dignitas denique sacrae scripturae, multorum christianorum ardorem ita accendit, ut biblia non modo legere, describere, de iis disserere in deliciis haberent, verum etiam multa capita memoriae mandarent. Hoc assiduo usu enata est quaedam cogitandi et sentiendi ratio biblica, verbis, factisque semet manifestans, ut quod in corde, hoc esset in ore et opere. Scripta condiebantur sententiis biblicis, epistolae familiares verba scripturae recitabant, aedificia, et monumenta publica floribus biblicis decorabantur.

Studium hoc lapsu temporis, in multis elanguit; ubicunque autem zelus religionis christianae perdurasset: ibi

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA Seite 9 von 294

plerumque etiam literae sacrae diligenter colebantur; ut vel haec experientia doceat: amore scripturae non quidem necessario nos fieri perfectos: vicissim tamen a studio perfectionis, apud literarum peritos et facultate pollentes, vix unquam abesse diligentem sacrae scripturae lectionem.

Difficultates intelligendi sacrum textum, quae non raro occurrunt, zelosos christianos ab eo colendo haud revocabant. Minores quidem illae erant aetate apostolica, et huic vicina: sed fatendum, tunc ea quoque de causa facilius intelligi potuisse sacros libros, quod assiduo legebantur. Diligentia enim lectionis pedetentim sine sensu difficultates complanat, obscura penetrat, et lumen intellectus, accedente bona voluntate, adauget. Repete tertium, quartum, quod non intellexeras: caligo magis et magis disparebit.

Tali cum diligentia, et animo rite disposito studium scripturae sacrae tanto maiori cum fructu exercetur, quanto plura comparantur in dies eandem intelligendi subsidia. Sane 18 saeculorum lapsu non una jam est dilucidata obscuritas, non una asperitas complanata, sive declaratis per communem ecclesiae sensum quoquomodo manifestatum compluribus locis: sive excultis eruditorum sudore disciplinis variis, ad intelligendum sacrum codicem necessariis, vel opportunis. In harum censum veniunt lingvae biblicae, vel iis affines, regulae interpretandi in ordinem redactae, cognitio antiquitatum biblicarum, et notitiae de sacrorum librorum indole et fatis, quae omnia ad studium scripturae utiliter tractandum egregie conferunt.

Cum autem sacra synodus Tridentina cavere volens, „ne coelestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus s. summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat,“ *) ordinaverit: ut non solum ad ecclesias cathedrales, collegiatas, et regulares, verum etiam in gymna-

*) Sess. 5. c. 1. de reform.

siis publicis „tam honorifica, et ceterorum omnium maxime necessaria lectio“ [1]) institueretur, alumnique seminariorum „sacram scripturam ediscerent“ [2]): decreto huic conformiter studium sacrae scripturae in omnibus institutis theologicis plus minus amplam sacrae eruditionis materiam constituit. Nec immerito. Si enim scriptura divinitus inspirata, quam s. Ambrosius librum sacerdotalem vocat, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia: profecto ministros ecclesiae, quorum vocatio est populo impertiri doctrinam salutis, et se „exhibere Deo operarios inconfusibiles, recte tractantes verbum veritatis,“ [3]) in sacro codice apprime versatos esse oportet. Quod ut obtineatur, prius in eundem rite sunt introducendi.

§. 2.

Introductionis biblicae notio, divisio, et ambitus.

Introductio biblica illam significat disciplinam, quae historiam librorum sacrorum pertractando, cognitionem recti sensus et usus eorundem adjuvat. Et si quidem de solis alterutrius testamenti libris agit: dicitur Introductio in libros vel veteris foederis, vel novi [4]). Nos posteriori

---

1) Ibid.

2) Sess. 23. c. 18. de reform.

3) 2. Tim. 2, 15.

4) Sunt, qui appellationem veteris vel novi foederis velint solam adhiberi, atque testamentum inepte dici; quia putant vocem *διαθήκη* significare quidem utrumque, sed cum in sacris libris perpetuo respondeat hebraico בְּרִית unice foederis notionem habenti: *διαθήκην* etiam ubique per foedus esse reddendam. Verumtamen *διαθήκη* in bibliis novi foederis nequaquam semper pro בְּרִית accipitur, sed interdum

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA Seite 11 von 294

occupamur, quae in duas principales partes abit; prior vocatur generalis, posterior specialis. Illa proponit notitias historicas, quae ad omnes libros communiter pertinent; haec autem tales, quae quibusdam vel singulis propriae sunt.

Ad ambitum itaque Introductionis biblicae e data definitione pertinent, quaecunque de s. scripturae origine, fatis, charactere, et argumento historice constant, et ad eam recte intelligendam *) aestimandam, et tractan-

---

pro dispositione ultimae voluntatis, quae scilicet vim per mortem testatoris obtinet. Sic s. Paulus in ep. ad hebraeos dicit (9, 16—20): „Ubi testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est; alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est. Unde nec primum quidem sine sangvine dedicatum est. Lecto enim omni mandato legis a Moyse universo populo, accipiens sangvinem vitulorum et hircorum ..... omnem populum aspersit dicens: Hic sangvis testamenti, quod mandavit ad vos Deus.“ Hic pro „διαθήκη“ vocem „testamentum“ suo loco esse nemo negaverit. Quia vero tam antiquum foedus morte victimarum, quam novum morte Redemtoris confirmatum est: nec unquam nisi per mortem Christi beneficia foederis utriusque poterant obtineri: patet, „testamentum“ plane nobili sensu de utroque valere. Accedit, hoc vocabulum perpetuo totius ecclesiae usu consecratum esse, quod ex ipsis protestantibus pauci declinarunt, cum interim omnes alii, ipsique novissimi critici, illud universe usurparent. Nos utraque appellatione promiscue utimur. Cf. de huiusmodi terminorum mutatione librum, cui titulus: „Dissertatio de divina auctoritate deutero-canonicorum utriusque testamenti librorum ac partium.“ Jaurini 1819. p. 207. seqq.

*) Ad intelligendum, et rite aestimandum sacrum codicem complura alia subsidia praeter hanc disciplinam requiruntur; quae quidem pariter introducunt in sacram scripturam: attamen

dam *) conducunt. Haec omnia nos, reflexe ad brevitatem instituto nostro convenientem, ita distribuimus, ut in parte hac generali, praemissa historia literaria, sectio I-a historiam auctoritatis librorum novi testamenti; II-a vero historiam textus deducat. Quaelibet rursum in plures articulos dispescitur.

---

hodie jam in distinctis disciplinis solent pertractari. Ceterum iuvabit lemmata quaedam in nexu tractandorum adhibere; sive quod ad historicam librorum sacrorum diagnosin prorsus pertinent, sive quod studentibus haud est inutile, nonnullas notitias iterato in memoriam revocare.

*) Cum Introductio ad bene noscendam scripturam valere debeat: profecto non satisfacit suo proposito, si historiam et proprietates librorum divinorum enarret, quin usum eorum practicum adtingat. Quomodo enim biblia recte noscas et aestimes, modum si ignores, quo tibi utilia reddere possis? Cunctas de scriptura cognitiones usus efficit pretiosas, alioquin vix non otiosae sunt. Si Theologiae studiosi multa audiunt de bibliorum lingva, literis, charta, interpunctionibus, codicibus, versionibus, editionibus etc. cur non introducantur etiam ad illam cognitionem, quae valeat ad fidem et virtutem aedificandam, in specie, qua ratione scriptura cum fructu legi, et ad vitae, vel sacerdotalis vocationis usum debeat adplicari? Sic saltem minus postea conqueri possent: se post duorum annorum introductionem, in scripturam ipsam minime fuisse introductos. Ille profecto optime introducitur, qui utilissima quaequae de scriptura percipit, ut ex libro hoc sibi et aliis parare possit thesaurum in coelo, quem nec tinea demolitur, nec fures effodiunt et furantur. Miles Christi gladium verbi Dei non modo quoad originem et fata noscere, sed et versare discat; nec enim pro vagina destinatus est, sed pro usu.

§. 3.

Historia introductionis in sacram scripturam.

Quanquam disciplina huius nominis nonnisi recenti tempore separatim perfici, et in scholis proponi cepit: non est tamen putandum, in ecclesia catholica sive candidatos pastores, sive fideles, antequam introductio ex instituto scriberetur, in sacram scripturam, pro varia necessitate, non fuisse introductos. Olim quidem minori fuit opus historica praeparatione ad biblia ipsa vel intelligenda vel exponenda, quam postea; nam primis ecclesiae christianae saeculis ad textum eorum declarandum multa concurrebant subsidia, quibus posterior aetas caruit. Talia, ut usus loquendi, et rerum archaeologicarum pleniorem cognitionem obiter attingam, prae ceteris erant: 1. Fides illa firma, et viva, qua plerique christiani suae religionis doctrinas tam viva voce, quam scripto propositas exceperunt. Est quippe intellectus et voluntatis obsequium, optima scripturae clavis. 2. Recens traditio de bibliorum adiunctis, quae postea, inter varias ecclesiarum calamitates, in quibusdam suis partibus evasit incerta; e. g. quo ordine et quo loco edita sint evangelia; unde, et quorsum directae quaedam epistolae s. Pauli, et catholicae; quis evangelium s. Matthaei graece sit interpretatus etc. Simul tamen meminisse oportet: patribus magis practicum scripturae finem curae fuisse, quam indifferentium cognitionem; nonnullas autem e gravioribus quaestiones olim nec fuisse necessarias, quarum scilicet posterioris temporis haeretici erant auctores, uti: an libri sacri sint genuini, integri, fide digni, praerogativa inerrantiae praediti etc. Haec enim primis duobus saeculis ita omnibus certa fuere, ut siqui fuissent impugnatores, nec audiendi viderentur.

Brevior itaque fuit primitus introductio, et potissimum vivae vocis institutione, aut congrue directa scripturae

lectione peragebatur. Ipsi nempe ecclesiarum rectores expositionem, et studium scripturae, velut possessionem ecclesiae catholicae, dirigebant *). Cum nempe eadem in sa-

---

*) Tertullianus c. 37. De praescript. „Mea est possessio, quid hic ceteri ad voluntatem vestram seminatis et pascitis? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo; habeo origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res; ego sum heres apostolorum; sicut caverunt testamento suo... ita teneo.“

S. Irenaeus l. 4. c. 26. „Ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea, quae est ab apostolis, ecclesiae successio; hi enim et.... fidem nostram custodiunt, et..... dilectionem adaugent..... et scripturas sine periculo nobis exponunt.“ Item c. 36. „Secundum successiones episcoporum .... pervenit usque ad nos, custoditione, sine fictione, scripturarum tractatio plenissima... et lectio sine falsatione.“

S. Cyrillus Hierosol. Catech. 4. „Quaecunque in ecclesiis non leguntur, illa neque privatim legas.“ Ecce, ipsi catechumeni informantur de lectione scripturarum.

S. Joannes Chrysost. Conc. 3. de Lazaro: „Crebro vobis multis ante diebus praedicimus argumentum, de quo sumus locuturi, ut his in medio diebus, sumto libro, perpensaque rei summa tota, posteaquam intellexeritis, quid dictum sit, quid restet dicendum, mentem vestram instructiorem reddatis ad audienda, quae post disserentur.“ Hom. 10. in Joann. „Unum vos in praesentia, antequam ad evangelica verba veniamus, rogatos volo, id ne contemnatis, obsecro. Quippe, ut una dierum in hebdomade vel saltem sabbato curae vobis sit evangelicas legere lectiones, quas domi frequenter repetere, earum sensum diligenter disquirere, quid clarum, quid obscurum sit, adnotare velitis; ita omnibus penitus examinatis, nostris vos concionibus quam attentissimos exhibeatis. Hoc pacto non parum utrisque nostrum emolumenti provenerit. Siquidem nobis non multo erit opus labore, ut evangelii vim ostendamus, cum

cris conventibus publice praelegeretur: antistites ea occasione tam clerum, quam populum, de praelectis informabant, maxime quidem morum aedificationi intenti, nec tamen historicas reflexiones ad bibliorum originem et adiuncta negligentes, ut patet ex insignibus homiliis s. Joannis Chrysostomi, et Catechesi 4-a s. Cyrilli Hierosol. Clerici praeterea in scholis, quae apud ecclesias principales habebantur [1]), ad scripturam uberius noscendam introduci consveverunt. Illorum utique specialis erat destinatio, verbo Dei pascere populum, quapropter longe magis, ac fideles alii in scriptura exercebantur. Non minus in monasteriis studium scripturae vigebat, tum lectione, tum commentatione eiusdem diligenter adhibita, ut locuples testis est s. Hieronymus [2]). Cumque sacerdotes et praesules ex mona-

---

domi ipsam vobis sententiam, quantum ad verba, jam familiarem reddideritis: vos autem et acutiores et perspicaciores efficiemini, non ad audiendum duntaxat, sed et ad docendum alios." — Studium scripturae, sub directione docentis ecclesiae!

1) Schola Alexandrina a cunabulis fere ecclesiae floruit, in qua ipse s. Hieronymus Didymum scripturas interpretantem audivit. Antiochena, quam praeter alios Chrysostomus illustravit; Emessena, ceu Academia Persiae salutata, et plures aliae nomen ab historia tulere. Episcopi passim collegia clericorum circa se habebant et erudiebant, uti s. Augustinus, Ambrosius, Fulgentius. Quid Romae obtinuerit, colligere licet ex epistola s. Leonis M. ad episcopos Africae directa, in qua ex patrum venerabilibus sanctionibus illos tantum ordinari vult, „quorum omnis aetas a puerilibus exordiis usque ad provectiores annos per disciplinae ecclesiasticae stipendia cucurrisset."

2) In epist. ad Eustochium virginem: „Post horam nonam in commune concurritur, psalmi resonant, scripturae recitantur

chis crebro eligerentur: hi suas cognitiones ad subiectum clerum populumque derivabant [1]). Laicis ipsis studium scripturae longo tempore familiare fuit [2]), ad quod etiam per antistites excitabantur [3]), salvo tamen obsequio do-

---

ex more, et completis orationibus, cunctisque residentibus, medius, quem patrem vocant, incipit disputare, quo loquente tantum silentium fit, ut nemo alium respicere, nemo audeat excreare.“ E regula s. Pachomii ter in dies lectio habebatur, cunctisque onus incumbebat, novum saltem testamentum, atque psalterium addiscendi.

1) S. Fulgentius, monachis et clericis adunatis, magni cuiusdam monasterii similitudinem effecit... Domus illa tunc Calaritanae civitatis oraculum fuit etc. Divinam volentibus audire diligentius lectionem, ministrabat ibi Dominus plenissimae expositionis aedificationem. Delectabat nobiles viros, si fieri posset, quotidie beatum Fulgentium cernere disputantem. Ferrandus in vita b. Fulgentii, operibus praemissa, Parisiis 1684 in 4-o c. 20. p. 21.

2) De quodam Servulo scribit s. Gregorius M. eum, licet pauperem, biblia sibi comparasse, quae ipse literarum rudis ab aliis tam diligenter sibi praelegi fecit, ut scripturam fere memoria teneret. Tatianus perhibet virgines christianas, inter cola, divina oracula pronunciare. Paula nobilissima matrona romana scripturam memoriae mandavit, simileque studium s. Hieronymus de pluribus eius aetatis faeminis testatur. In actis s. Irenes et sociarum Martyrum ad annum 304. apud Baronium legitur, Dulcetium praesidem interrogasse: „legebatisne scripta ista (biblia) praesente aliquo? Inquit Irene: Domi nostrae erant, neque audebamus illa efferre; quamobrem magnopere angebamur, quod non poteramus nocte et die illis operam dare, sicut a principio consveveramus.“

3) S. Gregorius M. in epist. ad Theodorum medicum imperatoris, ait: „Quid est scriptura sacra, nisi quaedam epistola omni-

centi ecclesiae debito, quod patres diligenter commendarunt *).

Haec igitur fuit forma introductionis in sacram scripturam temporibus florentissimae ecclesiae Christi. Missis curiosis auctoritate traditionis ecclesiasticae pertractabantur quaestiones biblicae, quae sacrarum literarum cultores ad earum rectum sensum et usum, potissimum adminiculo vivae vocis, introducebant.

---

potentis Dei ad creaturam suam? Et certe sicubi esset Gloria vestra alibi constituta et scripta terreni imperatoris acciperet, non cessaret, non quiesceret, somnum oculis non daret, nisi prius, quid tibi imperator terrenus scripsisset, agnovisset. Imperator coeli, Dominus hominum et angelorum pro vita tua tibi suas epistolas transmisit, et tamen, gloriose fili, easdem epistolas ardenter legere negligis? Stude ergo quaeso, et quotidie Creatoris tui verba meditare.“ Quis nesciat frequentes excitationes s. Hieronymi ad tractandas, discendas scripturas, in eius epistolis obvias? aut s. Chrysostomi in sermonibus ad populum habitis?

*) S. Cyrillus Hierosolym. Catech. 4. nr. 33. „Studiose quoque ab ecclesia disce, quinam sint vet. testamenti libri, qui vero novi, neque mihi quidquam apocryphorum legas. — Multo prudentiores et religiosiores te erant apostoli et veteres episcopi, ecclesiae rectores, qui eos (libros canonicos) tradidere: tu ergo filius ecclesiae cum sis, ne leges positas transverte.“ S. Hieronymus adv. Vigilant: „Quid necesse est in manus sumere, quod ecclesia non recipit.“?

S. Augustinus l. contr. ep. Fundam. „Ego vero evangelio non crederem, nisi me catholicae ecclesiae commoveret auctoritas.“

S. Vincentius Lirinensis Commonitor. Nr. 38. „Hoc facere magnopere curabunt (catholici homines), ut divinum canonem secundum universalis ecclesiae traditiones et iuxta catholici dogmatis regulas interpretentur.“

At postquam cum longiori ab aetate apostolica recessu historica traditio quadamtenus obscurari cepisset, atque haeretici, scripturam ad suos sensus contorquentes varios errores disseminassent: inventi sunt viri gnavi, qui reliquias traditionis posteritati scriptas transmittere curabant. Sic Eusebius Caesareensis in sua historia ecclesiastica, et aliis lucubrationibus copiam notitiarum historicarum, de sacris libris, eorumque auctoribus connotavit. Pari modo s. Hieronymus in libro de viris illustribus, Chrysostomus in homiliis, Theodoretus in prolegomenis commentariorum, de quaestionibus introductionis disseruere. Praecipue tamen laudandae sunt Hieronymi praefationes et epistolae, in quibus materias introductionis, pro data opportunitate, erudite pertractat. Cum autem versio Hieronymi cum eiusdem tractatibus biblicis in occidente, homiliae autem Chrysostomi in oriente pervulgatae essent: cognitiones biblicae in iis ubertim contentae posterorum quoque emolumento cesserunt. Ceterum usque ad saeculum 16-um de argumento hodiernae introductionis distincte parum erat scriptum, ex illa forsitan ratione, quod scripturam e traditione esse explicandam nemo dubitaret, historicas autem hypotheses, quibus explicandis nec patres vacassent, perscrutari operae pretium vix censerent *). Prae ceteris digna est, quae laudetur, „Synopsis sacrae scripturae“ inter opera s. Athanasii. Opus hoc, quisquis eius auctor sit, disciplinae nostrae separatim spectatae egregie praelusit. Praemisso quippe canone, tam de omnibus, quam de singulis libris veteris et novi testamenti dis-

*) Sane jam s. Augustinus (t. 10. p. 264.) multas quaestiones circa scripturam non esse necessarias declaravit. „Quis enim inquit, non sentiat in... variis et innumerabilibus quaestionibus, et multa ignorari salva christiana fide, et alicubi errari sine aliquo haeretici dogmatis crimine.“?

serit, excurrens in enarrationem apocryphorum, versionum, librorum qui interciderunt etc. Synopsi hac tempore posterior est liber Cassiodori saeculo 6-o florentis: „De institutione divinarum scripturarum“ in quo auctor proxime religiosos sui coenobii in sacris literis rite tractandis erudit, multaque ad introductionem pertinentia proponit.— E recentiori aevo celebris evasit Sixti Senensis ex ordine s. Dominici († 1599) „Bibliotheca sancta“ 8 libris comprehensa, e quibus duo priores proxime ad introductionem faciunt. Opus hoc s. Pio V. pontifici dedicatum, et saepius cum additamentis recusum fuit, nominatim a. 1742. Neapoli, quae editio locupletata nomini Benedicti XIV. inscripta fuit. Haud parem tulit approbationem Richardi Simonis Historia critica veteris et novi testamenti 4 tomis constans, qui primus introductionem novi testamenti ab ea veteris disjunxit, et ob assertiones traditioni patrum adversas non solum a catholicis, verum etiam a protestantibus acriter notatus est. Nec premenda silentio, quae Augustinus Calmet in prolegomenis commentariorum, et specialibus dissertationibus cum fructu nostrae disciplinae tradidit. E recentissimis huius studii lucubrationibus eminent opera: Leonardi Hugii [1]), Augustini Scholz [2]), Francisci Reithmayr [3]), Fr. Xav. Patritii [4]), quorum eruditioni praesens Introductio multum in acceptis refert.

---

1) Einleitung in die Schriften des n. T. Anno 1826. tertium edita in 2. tomis.

2) Einleitung in die h. Schriften des a. und n. Test. 1845. seqq. Opus ob mortem auctoris imperfectum.

3) Einleitung in die canonischen Bücher des neuen Bundes. Regensburg 1852.

4) De evangeliis libri tres. Friburgi Brisgoviae 1853.

De omnibus valet illud s. Pauli: *πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε.* (1. Thessal. 5, 21.)

E protestantibus, qui pro suo dogmate, solam scripturam esse fontem religionis revelatae, valde sunt fertiles in exarandis operibus biblicis, prae ceteris memoramus docta prolegomena Briami Waltoni editoris polyglottorum Londinensium 1657. Introductionem Davidis Michaelis, Godefridi Eichhorn, de Wette, Schott, Hävernick, Guerike, etc.

Sunt bona mixta malis *).

§. 4.

Studii biblici princeps et patronus: s. Hieronymus doctor ecclesiae.

Quaelibet scientia suos colit duces, qui vel primi eius fundamenta posuere, vel sua eminenti industria, et ingenii vi aedificium ad magnam perfectionem provexerunt. Signiferos huiusmodi nosse, eorumque merita aemulari, cuiuslibet interest, qui de disciplinae studiosorum numero esse velit. Sane exempla stimulos addunt conantibus, difficultates minuunt, perseverantiam adiuvant. Quapropter studii nostri principem et patronum veneramur s. Hieronymum presbyterum, qui primus in agro biblico excolendo tam insignem, tamque fertilem operam collocavit, ut ecclesia catholica in scripturis exponendis eum sibi doctorem maximum a Deo datum esse agnosceret.

Natus est Stridone in Dalmatiae et Pannoniae confinio, oppido haud frequenti, in quali etiam — puta in Bethlehem — vitam, inter multa itinera, plura studia, plurimaque virtutum exercitia in longum curriculum productam, terminavit, postquam occidentis et orientis populos cognovisset, atque acquisitam divitem experientiam, et scientiam in suos et aliorum usus magno voluminum scriptorum

*) Uberiorem literaturae enarrationem vide in supracitatis operibus Aug. Scholz, et Fr. Reithmayr.

numero fuisset complexus. Eximium certe orbis christiani decus, cuius tam scientia, quam virtus, uti nullus haereticorum negaverit *), nostra est catholicorum!

Opera eius, ad studium biblicum pertinentia sunt:

1. Liber de viris illustribus, cuius novem priores articuli de scriptoribus biblicis historicas notitias pro introductione utiles continent.
2. De nominibus hebraicis.
3. De situ et nominibus locorum hebraicorum.
4. Liber quaestionum hebraicarum.
5. Commentaria in Ecclesiasten.
6. In omnes prophetas, maiores, et minores.
7. In evangelium s. Matthaei.
8. In epistolas Pauli ad Galatas, Ephesios, Titum et Philemonem.
9. Versio ll. ss. vet. testamenti ex originali fonte in idioma latinum.
10. Emendatio versionis latinae tunc receptae in libris ss. n. t.
11. Versio latina homiliarum biblicarum Origenis, in specie: duarum in Canticum canticorum, 28 in Jeremiam et Ezechielem, 39 in Lucam.
12. Versio latina Chronici Eusebii Caesareensis, in quo multa ad s. scripturam spectant.
13. Accedunt complures epistolae argumenti biblici.

---

*) In ep. 61. (edit. Vallarsii, quae etiam in posterioribus citatis intelligenda) ad Vigilantium t. 1. col. 346. scribit: „Egone haereticus? et cur me quaeso haeretici non amant.“? Et in ep. 141 ad Augustinum, t. 1. col. 1059. „Catholici te conditorem antiquae rursum fidei venerantur, atque suspiciunt; et quod signum maioris gloriae est, omnes haeretici detestantur: et me pari persequuntur odio, ut quos gladiis nequeant, voto interficiant.“

Ad magnum illum, quo s. Hieronymus praecellit, eruditionis thesaurum pervenit:

a) Assiduo discendi labore, quem a juventute ita exercuit, ut in scriptoribus celebrioribus vel soluto, vel ligato stilo scribentibus pene domesticus esset. „Dum essem juvenis, inquit [1]) miro discendi ferebar ardore.“ Et alibi [2]): „Dum essem juvenis, et solitudinis me deserta vallarent, incentiva vitiorum, ardoremque naturae ferre non poteram, quem quum crebris jejuniis frangerem, mens tamen cogitationibus aestuabat. Ad quam edomandam cuidam fratri, qui ex hebraeis crediderat, me in disciplinam dedi, ut post Quintiliani acumina, Ciceronis fluvios, gravitatemque Frontonis et lenitatem Plinii alphabetum discerem, et stridentia, anhelantiaque verba meditarer. Quid ibi laboris insumserim, quid sustinuerim difficultatis, quoties desperaverim, quotiesque cessaverim, et contentione discendi rursus inceperim, testis est conscientia tam mea, qui passus sum, quam eorum, qui mecum duxerunt vitam. Et gratias ago Domino, quod de amaro semine literarum dulces fructus carpo.“ Ubique creber est in adhibendis aliorum effatis, quorum aptissima quaequae sic ei in calamum adfluunt, ut lector facile putet eum suis verbis uti. Plane vero admiranda est in eo sacrae scripturae recitandae facilitas, quam videri possit vix non totam memoria tenuisse, quodipsum aliis commendare solebat [3]).

---

1) Ep. ad Pammachium et Oceanum t. 1. col. 519.

2) Ep. ad Rusticum t. 1. col. 934.

3) Ep. ad Laetam t. 1. col. 679. „Reddat tibi (filia) pensum quotidie de scripturarum floribus carptum .... Discat primo psalterium, his se canticis avocet, et in proverbiis Salomonis eruditur ad vitam. In Ecclesiaste consvescat, quae muudi sunt, calcare. In Job virtutis et patientiae exempla sectetur. Ad Evangelia transeat, nunquam ea positura de manibus. Apo-

Haec vasta cognitio scriptorum tam divinorum quam profanorum indicat: eum vel memoriam diligenter exercuisse, quod juvenibus nunquam satis commendari potest; tantum enim scimus, quantum memoria tenemus: vel excerpta et adnotationes lectionis comites adhibuisse, quas deinde data opportunitate egregio cum fructu in usum convertit.

b) Solitudinis amans, mentis quietem, orationi, meditationi, atque studiis aptissimam conservare satagebat; contra impetum vero evagantium cogitationum jejuniis, fletibus, ac precibus armabat sese. „Mihi, inquit, oppidum carcer, solitudo paradisus est“ [1]) Et alio loco [2]) „O quoties ego ipse in eremo constitutus et in illa vasta solitudine, quae exusta solis ardoribus horridum monachis praestat habitaculum, putabam me Romanis interesse deliciis. Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. Quotidie lachrymae, quotidie gemitus, et si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa haerentia collidebam. . . . . Pallebant ora jejuniis, et mens desideriis aestuabat in frigido corpore. . . . . Itaque omni auxilio destitutus ad Jesu jacebam pedes, rigabam lachrymis, crine tergebam, et repugnantem carnem hebdomadarum inedia subjugabam. . . . . Memini me clamantem, diem crebro junxisse cum nocte, nec prius a pectoris cessasse verberibus, quam rediret, Domino increpante, tranquillitas.“

c) Literarum amorem eo etiam comprobavit, quod librorum penum selectissimam sibi comparaverit. Facilius nempe proficimus, dum quod alii bene dixerunt, aut collegerunt, ad nostram eruditionem praesto habemus. „Uti-

---

stolorum acta et epistolas tota cordis imbibat voluntate. Quumque pectoris sui cellarium his opibus locupletaverit, mandet memoriae prophetas“ etc.

1) Ep. ad Rusticum t. 1. col. 931.

2) Ep. ad Eustoch. t. 1. col. 91.

nam, inquit Hieronymus omnium tractatorum haberem volumina, ut tarditatem ingenii lectionis diligentia compensarem"! [1]) Ipse jam in juvenili aetate dicere poterat Florentio: „Quoniam largiente Domino multis sacrae bibliothecae codicibus abundamus, impera vicissim, quodcunque vis, mittam" [2]) De profanis autem potiori parte intelligendus est, dum dicit: „Bibliotheca, quam mihi Romae (circa annum aetatis 20.) summo studio ac labore confeceram, carere omnino non poteram". [3])

d) Nequaquam suis laboribus et facultatibus acquiescebat, sed alios quoque doctores, viva voce disserentes mente docili audiebat, quo scopo mirum, quanta itinera e discendi aviditate susceperit. Nam praeter selectos magistros, quorum partim institutione, partim conversatione Romae usus fuerat, etiam in adultiori aetate libenter se viris eruditionis fama celebratis discipulum exhibebat. „Nec enim, inquit [4]), juxta quorundam praesumtionem ipse me docui. Apollinarium Laodicenum audivi Antiochiae frequenter, et colui, et quum me in sanctis scripturis erudiret, nunquam illius contentiosum super sensu dogma suscepi. Jam canis spargebatur caput, et magistrum potius, quam discipulum decebat; perrexi tamen Alexandriam, audivi Didymum, in multis ei gratias ago. . . . . Putabant me homines finem fecisse discendi: veni rursum Jerosolymam et Bethleem. Quo labore, quo pretio Baraninam nocturnum habui praeceptorem"!

Unde dicit se docere, quod didicerat, non a seipso, id est a praesumtione, pessimo praeceptore, sed ab illustribus ecclesiae viris. [5]) Hos inter specialiter laudandus est

---

1) Ep. ad Pammach. et Ocean. t. 1. col. 520.
2) Ep. 5. t. 1. col. 15.
3) Ep. ad Eustochium t. 1. col. 113.
4) Ep. ad Pammach. et Ocean. t. 1. col. 519.
5) Ep. ad Eustochium t. 1. col. 714.

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA Seite 25 von 294

s. Gregorius Nazianzenus, cuius audiendi gratia iter Constantinopolim suscepit, quemque jam catechistam, [1]) jam praeceptorem suum [2]) nominat. Sub talibus magistris, et inter tot ingeniorum et characterum varietates, accedente lingvarum subsidio, eum non multa solum, sed et multum discere potuisse quis dubitet? Idem et aliis praecipit, ut non discant artem, praesertim interpretandi scripturam, sine magistris. „Haec, inquit, in ep. ad Paulinum [3]) a me perstricta sunt breviter .... ut intelligeres, te in scripturis sanctis sine praevio, et monstrante semitam, non posse ingredi."

e) Nec hoc satis, nisi cognitiones eius dirigeret regula multo tutior, scilicet adhaesio ad cathedram Petri, et traditionem majorum. Hic demum solida basis est, cui in augendis cognitionibus theologicis tuto possis inniti. „Cathedram Petri, inquit ad Damasum papam, [4]) et fidem apostolico ore laudatam censui consulendam. .... Neque vero tanta vastitas elementi liquentis, et interjacens longitudo terrarum, me a pretiosae margaritae potuit inquisitione prohibere. .... apud vos solos incorrupta patrum servatur hereditas."

His igitur mediis conscendit Hieronymus illum sanctae eruditionis gradum, ut oraculum evaderet sui aevi, quod e remotissimis orbis partibus consuleretur. Non quidem caruit obtrectatoribus, quos interdum acerbe perstringit: at illi studia eius non fregerunt; imo potius generosa cum resolutione scribit: [5]) „Licet excetra sibilet, victorque Sinon incendia jactet: nunquam meum, juvante Christo, silebit eloquium, — etiam praecisa lingva balbutiet; ma-

---

1) Ep. ad Domnion. t. 1. col. 235.
2) Ep. ad Nepotian. t. 1. col. 261.
3) 54. t. 1. col. 272. seqq.
4) Ep. 15. t. 1. col. 37.
5) Praef. in Ezram. t. 9. p. 1525. 1526.

gisque ad scribendum vestra caritate movebor, quam illorum odio deterrebor.“ Inter tanta, quae scripsit, etsi nonnulla limam admittant, fidem tamen et virtutem, scribendo, servavit integram; studia ut medium divinae gloriae promovendae, non autem vanitatis explendae considerans; nec illos imitatus, qui circa varias quaestiones langventes, dum unum faciunt, aliud negligunt, et fidei vel modestiae iacturam patiuntur. Ipse igitur sit exemplar, quod in studiis imitemur, ut ductu et intercessione ipsius eundem studiorum finem, quem ille possidet, consequamur.

SECTIO I.

Historia auctoritatis ll. n. t.

Articulus I.

De Canone.

§. 5.

Ordo et divisio ll. n. t.

Antequam de libris n. t. alias quaestiones pertractemus, ordo naturalis exigit, ut eos nominetenus noscamus. Quosnam autem ecclesia catholica agnoscat libros ceu sacros, iuvat ex ipso authentico fonte haurire. Nempe synodi Tridentinae solenni decreto, quod apud catholicos vim dogmaticam habet, ad novum testamentum referuntur sequentes: „Quatuor evangelia, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam et Joannem; Actus apostolorum a Luca evangelista conscripti, quatuordecim epistolae Pauli apostoli; ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses,

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA Seite 27 von 294

duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos, Petri apostoli duae, Joannis apostoli tres, Jacobi apostoli una, Judae apostoli una, et Apocalypsis Joannis apostoli.“ Subjicit autem sacra synodus gravissima haec verba: „Siquis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consveverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit . . . . anathema sit.“ De his igitur libris praesens Introductio agit. Dividi solent spectato argumento in historicos, didacticos, et propheticum. Ad primam classem pertinent 4 evangelia cum Actibus apostolorum; ad secundam epistolae s. Pauli et reliquorum apostolorum; tertiam classem sola tenet Apocalypsis; quia etsi inter didacticos aliquomodo censeri potest: cum tamen maiori ex parte prophetias contineat, qua nota ab omnibus ceteris differt, rectius in distinctam classem ponitur. Omnes libri sunt numero 27, et complexus eorum in ecclesia christiana vocatur canon.

§. 6.
Canon.

Canon, vox graeca, regulam significat; unde canonicus, regularis. Usu autem ecclesiastico canon olim denotabat syllabum personarum vel rerum ad ecclesiam pertinentium, itaque etiam librorum, usui ecclesiae servientium. Speciatim tamen a saeculo 4-o nomine canonis veniebat complexus librorum sacrorum, quibus divina auctoritas tribuebatur. Liber itaque canonicus ille dicitur, qui ab ecclesia, in seriem librorum divinae auctoritatis receptus est.

Vestigia canonis, seu collectionis librorum sacrorum n. t. jam aetate apostolica deprehenduntur. Incitamenta enim ad eam suscipiendam plura adfuere, in specie 1. Veneratio, qua fideles erga apostolos et eorum scripta ferebantur. Tanta quippe fuit ecclesiae catholicae de apostolis

existimatio, ut scriptis eorum irrefragabilis tribueretur auctoritas, eaque instar sacri thesauri colligerentur. Nec immerito. Erant enim principes illi ecclesiae immediate a Jesu Christo instituti, et ad eius religionem per orbem propagandam ita missi, prout ipse Christus a Patre missus fuerat (Joannis 20.), insuper supernaturali Spiritus s. auxilio muniti (Act. ap. 2.). Quidquid igitur de rebus religionis illi docerent seu verbo seu scripto: illud tanquam verbum Jesu Christi, tanquam oraculum Spiritus sancti suscipiebatur. Quemadmodum vero numerus apostolorum restrictus erat: ita etiam, spectata auctoritate, apostoli privum, distinctumque collegium effecerunt, ut, quidquid apostolicum non esset: hoc aequali dignitate minime censeretur gaudere, nisi forte ab apostolis testimonium paris auctoritatis recepisset. Hinc repetenda restrictio librorum canonicorum ad certum numerum, quem ingredi nihil posset heterogenei. 2. Ad colligendos libros n. t. incitabat usus publicus eorundem, ob quem quaevis ecclesia sollicita erat de comparanda quo pleniore collectione fontium salutaris doctrinae. 3. Cum ex epistola s. Pauli ad Colossenses, in qua Laodicenses Colossensium, et hi illorum literas legere jubentur, patuerit illa voluntas apostolica, ut fideles mutuo sibi acceptas literas communicarent, et in coetibus legerent: certe hac auctoritate motae ecclesiae in scriptis apostolicis colligendis diligentiam adhibuerunt. Occasio vero faciendae collectioni serviebat partim illa, quod non pauca scripta apostolica ad plures ecclesias in cyclo destinata essent, quo factum, ut ecclesiae apographa sumerent, et suam collectionem augerent: partim in peregrinationibus apostolorum se offerebat, qui ecclesias obeuntes scriptorum suorum notitiam, et fors etiam apographa ab adhaerentibus parata inter fideles divulgabant. Revera autem canonem n. t. aevo iam apostolorum ecclesias habuisse, historica comprobant indicia. Sic s. Petrus de epistolis Pauli et ceteris scripturis in complexu loquitur (II. 3, 15. 16.). Porro, si s. Poly-

carpus a Philippensibus rogatus fuit, ut eis epistolas Ignatii martyris mitteret: quanto magis curaverint ecclesiae collectionem habere scriptorum apostolicorum, utpote maioris et dignitatis, et utilitatis? Deinde exeunte saeculo 1-o et ineunte 2-o mentio fit distinctionis librorum sacrorum in evangelium et apostolos, quod certe aliquam collectionem non heri primum natam supponit.

Hanc tamen initio imperfectam, nec ubique eandem fuisse, suapte intelligitur; quoniam nec libri ipsi eodem omnes tempore, sed per decursum fere 50 annorum vulgati erant; tum, quia ecclesiae longe ab invicem distabant in Europa, Asia et Africa, quin eodem tempore bibliorum copiam ubique haberent. Varietas haec canonis in ecclesiis particularibus duravit eousque, donec ad singulas testimonium indubitatum de origine vel auctoritate apostolica partium canonis propagaretur. Tale autem testimonium plenae auctoritatis dabant ecclesiae apostolicae, ut constat ex Irenaeo, sic disserente (Adv. haer. l. 3.): „Quid enim, et si de aliqua modica quaestione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere ecclesias, in quibus apostoli conversati sunt, et ab eis de praesenti quaestione sumere, quod certum et liquidum est?“ Pari modo Tertullianus (Adv. Marc. IV.): „Utique constabit, id esse ab apostolis traditum, quod apud ecclesias apostolorum fuerit sacrosanctum . . . . nam etsi Apocalypsin Marcion respuit, ordo tamen episcoporum ad originem recensus in Joannem stabit auctorem. Sic et ceterarum (scripturarum) generositas recognoscitur . . . . Eadem auctoritas ecclesiarum apostolicarum ceteris quoque patrocinabitur evangeliis“ etc. Denique s. Augustinus (l. 2. de doctr. christ.): „In canonicis autem scripturis ecclesiarum catholicarum quam plurium auctoritatem sequatur, inter quas sane illae sint, quae apostolicas sedes habere, et epistolas accipere meruerunt.“ Plurimum autem omni tempore valuit, imo rem confecit testimonium ecclesiae Romanae, ceu talis, ad quam dicente

s. Irenaeo, propter potentiorem principalitatem omnem necesse est convenire ecclesiam. Ex huius auctoritate tandem etiam canonem apud omnes ecclesias fuisse compositum, probat non sola eius eminentia, sed et historia. Constat enim in ipso canonis negotio ecclesiam Romanam fuisse consultam ab aliis. Sic patres Carthaginenses a. 419. recensentes canonem librorum sacrorum, subjiciunt: „Hoc etiam fratri et consacerdoti nostro Bonifacio, urbis Romae episcopo .... pro confirmando isto canone innotescat; quia et a patribus ita accepimus in ecclesia legendum.“ Deinde Exuperius episcopus Tolosanus in Gallia expresse consuluit papam Innocentium I. de libris canonicis, et responsum, traditioni Romanae conforme accepit. De qua idem pontifex in ep. ad Decentium Eugubinum a. 416. dicit: „Quis nesciat, aut non advertat, id, quod a principe apostolorum Petro Romanae ecclesiae traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari?“ Eusebius quoque Caesareensis (l. 3. Hist. c. 3.) ideo epistolam ad Hebraeos a nonnullis esse repudiatam scribit, quod dicerent, eam ab ecclesia Romana pro certa et genuina Pauli epistola non haberi. Quae opinio nonnullorum quanquam, ut posthac dicemus, fundamento caruerit: ostendit tamen, quae fuerit dirigens auctoritas ecclesiae Romanae, in canonis quaestione determinanda.

Sed et illa fuit ecclesiae Romanae felix conditio, ut in negotio canonis omnibus ecclesiis facillime posset praeferre facem; nam principes apostolorum Petrus et Paulus, quorum scripta notabilem canonis n. t. partem efficiunt, Romae docuerunt et martyrio coronati sunt; itaque de numero et argumento suorum scriptorum fideles Romanos authentice certos fecerunt. Marcus interpres Petri, evangelium conscio Petro Romae scripsit. Lucas cum s. Paulo Romae conversatus, evangelii sui notitiam ipse Romanis communicavit, Actus vero apostolorum verosimillime Romae scripsit. Joannis, Jacobi et Judae libri vel ideo Romae fa-

cile innotuerunt, quod ex eorum discipulis et primis lectoribus absque dubio complures Romam diverterint, quae scilicet, cum centrum esset vastissimi imperii, perpetuum fovebat nexum cum omnibus occidentis et orientis provinciis; imo comites Petri et Pauli, variis itineribus per dissitas provincias perfuncti, notitiam omnium librorum apostolicorum secum Romam adtulere, ut adeo Romae facillime conflari potuerit prae ceteris ecclesiis plenus divinorum voluminum canon, indeque ad alias orbis christiani partes propagari.

Porro ecclesiam Romanam inde a saeculo primo eundem habuisse canonem novi foederis, quem concilium Tridentinum promulgavit, locupletissimus testis est versio latina, qua ecclesia Romana semper usa fuit. In hoc enim omnes 27 libri inter canonicos numerantur. Idem probant synodales decisiones ecclesiae Africanae, quae a Romana originem et fidem sumsit, denique decreta Romanorum pontificum. In specie

1. Concilium Hipponense a. 393. celebratum eosdem recenset libros canonicos, quos ceu tales hodie agnoscimus.

2. Concilium Carthaginense III. a. 397. celebratum canone 47. statuit: „Placuit, ut praeter scripturas canonicas nihil in ecclesia legeretur sub nomine divinarum scripturarum. Sunt autem canonicae scripturae hae“ etc. enumerantur libri canonici, sicut in concilio Tridentino.

3. Idem sancitur canone 29. concilii Carthag. VI. a. 419. celebrati, sive quod canon prioris concilii repeteretur, sive quod canon iste 29-us a posterioribus editoribus inter acta prioris concilii (Carthaginensis 3-ii) indebite reciperetur.

Sensus iste ecclesiae Africanae absque dubio exprimit traditionem et praxim ecclesiae Romanae veluti matris; dicunt enim episcopi congregati, se a patribus ita accepisse in ecclesia legendum, suumque canonem pro confirmatione communicant sedi Romanae, ceu suae magistrae.

Nec aliud Romae hac de re tradebatur, ut apparet ex epistola Innocentii I. sub initium saeculi 5. ad Exuperium episcopum Tolosanum in Gallia data, qui de numero sacrorum librorum scīscitans, hocce responsum percepit: „Consulenti tibi frater charissime, quid de unaquaque proposita specie sentirem, pro captu intelligentiae meae, prout visa sunt, respondi, quid sequendum vel lucidior ratio persvaderet, vel auctoritas lectione ostenderet, vel custodita series temporum demonstraret.“ Post haec enumerantur libri canonici, prout in concilio Tridentino.

Idem canon sancitus est in concilio Romano, a Gelasio pontifice a. 494. congregato; prout multo serius in Institutione ad Armenos ab Eugenio IV-o a. 1439. edita.

Haec omnia monstrant ecclesiae Romanae canonem omni tempore fuisse eundem 27 librorum syllabum. Sed idem erat et ceterarum ecclesiarum, quibus Romana traditio innotuit, quamvis hanc semel receptam ex causis dogmaticis nonnulli obscurasse, vel ne mox reciperetur, excitatis dubiis impedivisse deprehendantur. Quo factum est, ut libri quidam n. t. hic et ibi velut suspecti non prius unanimi gauderent consensu, quam traditione luculentius confirmata nebulae dubiorum evanuissent. Quinam hi libri fuerint, discimus ex Eusebio, qui Hist. eccl. l. 3. c. 25. postquam enummerasset biblia ὁμολογούμενα, scilicet 4 evangelia cum Actibus apostolorum, 14 epistolas Pauli, primam Petri, primam Joannis et Apocalypsin, (hanc tamen addita restrictione: εἴγε φανείη, si ita videbitur) ita continuat: Ex iis vero, quae in dubium revocantur, a multis tamen commemorari videmus, est epistola, quae dicitur Jacobi, et quae Judae, et secunda Petri, Joannis item altera et tertia“ – – Haec Eusebio ἀντιλεγόμενα audiunt. Usus loquendi recentior, priores libros vocat protocanonicos, posteriores vero deuterocanonicos, et inter hos etiam epistola Pauli ad Hebraeos, item Apocalypsis censetur, quia alibi et Eusebius memorat dubia circa utrumque librum a quibusdam agitata.

Nec temere defendimus, libros, ut vocant deuterocanonicos, olim in plerisque locis receptos fuisse simpliciter, ac nonnisi lapsu temporis in dubium vocatos. Si enim hoc de parte eorum satis manifeste constat: de reliquis eo tutius praesumitur, quo certius est, cunctis rationum momenta, ad rem non pertinentia, opposita fuisse. Jam vero de tribus praecipuis partibus, nimirum de ep. ad Hebraeos, Apocalypsi et epistola Jacobi constat: ab antiquissimis patribus pro canonicis habitas fuisse, scilicet epistolam ad Hebraeos et Jacobi a Clemente Romano, Irenaeo, Clem. Alex. et ecclesiis, alterutrius antiquissimae versionis, latinae, vel syriacae usum habentibus; Apocalypsim autem praeter versionem latinam a Melitone, Justino, Theophilo, Irenaeo, Origene, Tertulliano etc. Si ergo serius partes hae impugnantur: nulla melior defensio datur, quam haec verba s. Hieronymi: „Nos utraque (ep. ad Hebr. et Apocal.) suscipimus, nequaquam huius temporis consvetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes.“ Restituta igitur fuit denique auctoritas priscae traditionis, et quae interim apparuere dubia, ad lucem historiae dissoluta sunt. Et merito quidem. Fuerunt enim vel e styli, formaeque diversitate, vel argumentis dogmaticis petita, quae utique rem facti non evertunt. Quod ut clarius pateat, subnectimus declarationes patrum, in quibus rationes dubiorum exponunt.

§. 7.

Difficultates, quae contra libros controversos n. t. in antiqua ecclesia proferebantur.

1. De epistola ad Hebraeos.

Origenes apud Euseb. (Hist. l. 6. c. 25.) ita sentit: stylum epistolae carere illa sermonis rusticitate, quae propria est apostoli. Eusebius (l. 3. c. 3.): „Sciendum est, epistolam ad Hebraeos a nonnullis ideo esse repudiatam, quod dicerent, eam ab ecclesia Romana pro certa et ge-

nuina Pauli epistola non haberi.“ Idem alibi (l. 6. c. 20.) scribit: Cajum in disputatione adversus Proclum quemdam Cataphrygarum haeresis propugnatorem epistolam ad Hebraeos cum reliquis Pauli non adnumerasse, eamque etiamnum a quibusdam, *παρὰ Ῥωμαίων*, apostoli esse, non credi.

Philastrius (Haer. 89.) testatur epistolam ad Hebraeos in ecclesia non legi propter haeresim Novatianorum.

S. Hieronymus dicit (l. de vir. ill. c. 5.) „Epistola, quae fertur ad Hebraeos, non eius creditur, propter styli, sermonisque dissonantiam.“

Theodoretus (in Comment. in hanc ep.) perhibet, eam ab Arianis negligi e momentis dogmaticis.

Collata haec testimonia extra dubium ponunt: auctoritatem epistolae idcirco apud nonnullos vacillasse, quod ea haeretici, in specie Montanistae, contra quos disputabat Caius, tum Novatiani et Ariani abuterentur, et stylus a reliquis Pauli scriptis dissonare videretur.

2. De epistola Jacobi.

Eusebius notat (H. l. 2. c. 23.): „Haec sunt, quae de Jacobo memorantur, cui etiam adscribi solet epistola prima earum, quae catholicae dicuntur. Quam quidem nonnulli spuriam ac suppositiam existimant. Sane pauci admodum ex vetustioribus tum huius epistolae, tum illius Judae, quae et ipsa in septem catholicarum numero recensetur, mentionem fecere. Verumtamen has quoque cum ceteris in plurimis ecclesiis publice lectitari cognovimus.“

Si Eusebius non potuit aliam dubitationis rationem assignare, nisi quod a paucis veteribus memoretur, (cuius rei plures esse possunt causae, non illa unica, quasi liber pro canonico non agnosceretur): argumentum hoc per eundem ipsum eliditur illa adnotatione, epistolam in plurimis ecclesiis publice lectitari. Fuit ergo saltem ad initium saeculi 4. ab omnibus fere agnita tamquam canonica, qui con-

sensus cum nec brevi tempore, nec sine argumento fundatissimae traditionis potuerit coalescere, veterum silentium abunde compensat.

3. De 2-a Petri.

Eusebius (H. l. 3. c. 3.): „Quae secunda appellatur, eam quidem inter sacros novi testamenti libros censitam non esse a majoribus accepimus. Sed tamen cum utilis esse videretur quam plurimis, una cum reliquis sacrae scripturae libris studiose lectitata est.“

S. Hieronymus de vir. ill. c. 1. (Petrus) „scripsit duas epistolas, quae catholicae nominantur, quarum secunda a plerisque eius esse negatur, propter styli cum priore dissonantiam.“

Quid causae praetenderint adversarii contra epistolam: ex verbis quidem Eusebii non liquet; sed paucos fuisse docet quam plurimorum favor eidem exhibitus. Forte tantum ab illis majoribus inter canonicos censita non fuit, ad quos vel eius notitia, vel testimonium de origine eiusdem apostolica non pervenit.

4. De 2-a et 3-a Joannis.

Verba Eusebii (l. 3. c. 25.) „Joannis item altera et tertia, sive illae ab ipso revera evangelista, sive ab altero eiusdem nominis compositae sunt“ illam facile excitant opinionem, ob omissionem nominis et apostolatus in inscriptione fuisse dubitatum de apostolica horum libellorum origine, qui ambo, ut Origenes animadvertit, nec centum versus continent, proinde propter exilitatem argumenti, quemadmodum hoc teste s. Hieronymo, epistolae quoque s. Pauli ad Philemonem evenit, minus attendebantur, cumque essent privatae epistolae, simul testimonium minus cognitarum personarum, quae illas receperunt, difficilius admittebatur.

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA

5. De epistola Judae.

S. Hieronymus auctor est (l. de vir. illustr. c. 4.) Judam, fratrem Jacobi parvam, quae de septem catholicis est, epistolam reliquisse. Et quia de libro Enoch, qui apocryphus est, in ea assumit testimonium, a plerisque rejicitur, tamen auctoritatem vetustate jam et usu meruit, et inter sanctas scripturas computatur.“

Itaque male intellectum argumentum officiebat libro, cuius auctoritatem vetustas et usus vindicavit.

6. De Apocalypsi.

Dionysius Alexandrinus apud Eusebium (l. 7. c. 25. Hist.) disertissime enarrat, argumenta dubitandi de origine apostolica Apocalypseos. Sunt autem 1. Sententia de regno Christi terreno, quae hic contineri credebatur, et ideo a nonnullis opus ipsum Cerintho tribuebatur. Dionysius quidem hanc opinionem rejicit, alias vero adfert propriae dubitationis rationes, uti sunt 2. Forma loquendi, et libelli totius ductus ac dispositio, ab evangelio Joannis diversa. 3. Unum idemque utriusque scriptionis genus, evangelii nimirum et epistolae evidenter apparet: Apocalypsis vero ab his prorsus aliena est. 4. Nec epistola mentionem ullam facit Apocalypseos, nec Apocalypsis epistolae. 5. Dictio in Apocalypsi barbarismis, ac interdum soloecismis inquinata, qui a reliquis Joannis scriptis absunt.

Huiusmodi igitur erant difficultates, quae auctoritatem canonicam librorum controversorum apud nonnullos reddidere dubiam. Quisquis illas aequa lance ponderaverit: observabit, quam parum valeant ad labefactandam priscam traditionem de dignitate harum partium. Non modo enim versantur intra sphaeram dogmaticam, quae recta interpretatione facile illustratur: sed etiam privatorum passim exprimunt sensa; dum interim usus publicus ecclesia-

rum in cepto traditionis tramite perseveraret. Hoc sane probant verba Eusebii supra allata de epistolis, Jacobi et 2–a Petri, item verba s. Hieronymi de epistola Judae. Imo generale testimonium praebet Eusebius de omnibus libris antilegomenis, dum l. 3. c. 31. his verbis eos designat: „qui in dubium quidem revocantur, in plurimis tamen ecclesiis palam leguntur.“

Idem elucet ex eo, quod nemo unus memoriae prodiderit, quandonam libri, semel in canonem recepti, ob exorta dubia fuerint ab eo avulsi: aut quando iterum restituti. Privati igitur disputabant, at ecclesiae positos a patribus terminos observabant. Sic factum e. g. ut in eadem ecclesia Alexandrina Clemens et Athanasius Apocalypsim Joanni apostolo adscriberent, medius autem inter eos Dionysius Alex. hoc in dubium vocaret. Quapropter, tametsi demus, Cajum, et alios quosdam Romanos vel epistolam ad Hebraeos, vel alias forte partes vocasse in dubium: nemo tamen inde ad mutatum ecclesiae Romanae canonem iure concluserit. Certe Eusebius non plus dicit, nisi quibusdam apud Romanos videri, epistolam ad Hebraeos apostoli non esse. Hieronymus autem loquens de latinorum consvetudine, quae eam non recipiat inter scripturas canonicas, ipsemet se explicat, dum alibi fatetur, eam quotidie ecclesiarum lectione celebrari.

Hinc vero sequitur: *ἀντιλεγόμενα* Eusebii nihil amittere de auctoritate per id, quod fuerint *ἀντιλεγόμενα*, seu quorundam contradictione impetita; prout nihil decedit quibusdam protocanonicis ex eo, quod pariter nonnullas paterentur contradictiones, v. g. ep. ad Philemonem, et ex bibliis vet. foed. liber Esther, cui aliqui christiani varia dubia obmovebant.

§. 8.

Indices antiqui librorum canonicorum n. t.

Ista auctoritas partium controversarum ad aetatem apostolicam ascendens, nec non levitas momentorum contra eos prolatorum lucem affundit valori catalogorum, quos veteres de libris canonicis texunt. Nimirum supersunt diversi indices, complexum librorum canonicorum exhibentes, quorum alii omnes 27 libros referunt, alii vero pauciores quidem, sed vario numero. Priores e supra demonstratis merito consideramus velut canonis antiquissimi apographa seu exempla, item, ceu traditionis ecclesiasticae, cumprimis Romanae testes. Quoad posteriores autem notandum: nequaquam eos in antilegomenis convenire, sed dum partem eorum recipiunt, atque horum respectu canonem Romanum confirmant: alia parte inter se variant, omittendo jam hos, jam alios libros. Varia autem esse potuit omissionis ratio, ut adeo solum silentium non praebeat negatae auctoritatis canonicae sufficiens argumentum. Exemplum sume a syriaca versione, cui nomen Peschito, quae 2-am Petri, 2-am et 3-am Joannis, item epistolam Judae cum Apocalypsi non continet; sed quis demonstraverit, hoc ideo factum, quod pro canonicis non agnoscerentur? Sane Ephraem Syrus 2-am Petri, epistolam Judae, et Apocalypsim ceu scripta sacra tractat, et versio Philoxeniana etiam reliquos libros continet, quin memoriae proditum sit, ecclesiam syriacam in canone mutationem suscepisse, vel aliquando de eo controversias agitasse. *)

In censum indicum referimus etiam versionem latinam, eiusdem, si non maioris antiquitatis cum versione Peschito. Illam autem omnes 27 libros ab origine habuisse

*) Aliud est, dictos libros a canone excludere, et aliud: versionem Peschito in sua originali manca forma, etiam penes canonem 27 librorum, retinere.

satis constat e Tertulliano, collato cum fragmento anonymi apud Muratorium. Ista quippe antiquissima monumenta latini de scriptura sensus, 25 libros aperte pro canonicis adhibent, praetermissa tantum epistola Jacobi et 2-a Petri, quos duos libros apud latinos de cetero receptos fuisse jam ex Clemente Romano fit probabile, ex posteriori usu autem latinorum indubium. Fragmenta versionis latinae antehieronymianae a P. Sabbatier collecta, aeque probant omnes libros n. t. translatos fuisse.

Origini versionis latinae proximus aetate est catalogus anonymi cuiusdam in fragmento per Ludovicum Muratorium in bibl. ambrosiana detecto, quod ille Cajo presbytero ecclesiae Romanae, ad finem seculi 2. et initium 3. viventi adscribit. Fragmentum est acephalum, stylo latino admodum barbaro exaratum, e quo saepe vix ominari possis, quid auctor dicere velit. E conjecturis eruditorum inter receptos numerat 23 vel 24 libros, nempe praeter ep. ad Hebraeos, Jacobi, et vel utramque, vel saltem 2-am Petri.

Hunc indicem excipit catalogus Origenis, qui apud Eusebium quidem (l. 6. c. 25. Hist.) memorat aliorum dubia de ep. ad Hebraeos, 2-a Petri, 2. et 3. Joannis, quin tamen ea probasse videatur; nam omnia haec scripta, una cum ep. Judae, velut apostolica tractat, et alias (hom. 13 in Genes. et hom. 7. in Josue) omnes 27 libros absque discrimine recenset.

Origenes igitur inter eos numerandus, qui plenum canonem Romanum exhibent, eiusque auctoritas tanto pluris facienda, quod in literatura biblica versatissimus traditione majorum in hac causa ducatur.

Non minus Eusebius Caesareensis texit catalogum ll. canonicorum, quos Hist. eccl. l. 3. c. 25 partitur in biblia homologumena, et antilegomena, ut supra diximus.

Praeter enumeratos indices, occurrit recensio sacrae scripturae n. t. saepius, modo incompleta, modo plena.

Priorem exhibet canon 85. apostolorum, qui epistolam Judae ét Apocalypsim reticet. Tum synodus Laodicena, s. Cyrillus Hierosolymitanus, et Gregorius Nazianzenus, in quibus Apocalypsis desideratur.

E contra plenum 27 librorum complexum recenset 1) Synopsis s. scripturae inter opera s. Athanasii. 2) Ipse s. Athanasius. 3) Amphilochius. 4) S. Epiphanius. 5) Ruffinus. 6) S. Augustinus. 7) Cassiodorus etc. *)

Ex hactenus demonstratis videas, quam inepta sit compellatio deuterocanonicorum in libris n. foederis. Non enim unquam isti in duos canones divisi erant; nec deuterocanonici serius accesserunt ad τοὺς ὁμολογεμένες, nisi in quantum forte origo aliquorum serius cognita fuisset, quodipsum autem protocanonicis quibusdam hic et ibi aeque evenire potuit. Vetustate sane, et usu ecclesiastico antilegomena prius consecrata erant, quam vel haeretici, vel etiam orthodoxi ansam ad eos impugnandos dedissent; ut adeo per disputationes duntaxat pristina eorum confirmaretur auctoritas, nequaquam autem dignitas eis accederet, quam antea nusquam habuissent. Et hoc sensu intelligimus verba s. Hieronymi de epistola Jacobi asserentis (De viris ill. c. 2.): eam paulatim tempore procedente obtinuisse auctoritatem. Pro tempore igitur antilegomena probationis ignem subibant, ut eorum aurum e fornace splendidius exiret. Ubi attentionem meretur illud phaenomenon, quod nec Marci, nec Lucae scripta fuerint unquam in controversiam vocata, sed tantum apostolica. E quo sequitur: internas difficultates lapsu temporis dedisse originem dubiis, cum primi lectores, quibus apostoli auctores cogniti fuerant, in recipiendis ipsorum libris haesitare non potuerint.

Itaque nec argumenti praestantia, nec quorundam gravium virorum, uti s. Hieronymi et Augustini auctoritas an-

---

*) Cf. Scholz Einl. in d. h. Schr. . . . P. I. p. 277. seqq.

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA Seite 41 von 294

tilegomena ad dignitatem canonicorum evexit; sed quia apud ecclesias apostolicas canonica erant ab origine: traditio earum luculentius divulgata controversiis finem imposuit. Ipsi sane Hieronymus et Augustinus traditionem ecclesiarum pro fundamento suae sententiae ponunt. Sic prior in supra citata ep. ad Dardanum; Augustinus vero (in expos. ep. ad Romanos) fatetur: „Quamvis quibusdam incerta esse videatur epistola ad Hebraeos, me tamen magis movet auctoritas ecclesiarum orientalium, quae eam quoque in canonicis habent.“

Memorari denique meretur: ecclesiam quoque graecam anno 1672. pro nostro canone dedisse testimonium. Nam dum a protestantibus ad sua placita sequenda invitarentur, dicto anno celebrata fuit synodus Hierosolymitana sub Dositheo patriarcha, in qua protestantium errores damnati, et in rescripto ad eos dato canon catholicus hoc titulo laudatus est, quod eum tradiderit antiqua consvetudo.

Articulus II.

De authentia librorum canonicorum n. t.

§. 9.

Notio authentiae, et modus eam probandi.

Authentia in nostro instituto est illa nota libri, quae ipsum eidem auctori vel eidem aetati adserit, cui tribui solet. Itaque liber authenticus est, vel ratione auctoris, vel ratione aetatis. Dum nempe auctor ignoratur, authentia tamen defendi potest, quatenus rationes historicae non admittunt, eum pro compilatione multo recentiore haberi, quam traditum sit. Liber non authenticus vocatur spurius vel suppositus.

Authentiam probant partim notae internae, partim testimonia. Sub illis intelligimus indicia in ipso libro con-

tenta, qualia sunt: lingva, elocutio, argumentum, et alia. Testimonia autem sunt enunciationes in diversis documentis occurrentes, de operis auctore, titulo, vel argumento, ad probandam authentiam idoneae.

Notae internae duplici modo possunt allegari; scilicet, vel petitur argumentum e defectu signorum, quae diversum a praesumto auctorem, aut diversam aetatem indicarent; vel formatur ex indiciis in libro contentis et authentiae faventibus. In primo casu dicitur formari argumentum negans, in altero ajens. Illud unicum proprie est, quatenus omnis contrarii defectum simul comprehendit, potest autem in partes dividi, si singula, quae authentiae adversari videntur, vel qua talia ab adversariis allegantur, specialiter ad examen revocentur. Ast argumenta affirmantia, seu, ut dici amat, positiva, multiplicia esse possunt pro varietate notarum, authentiam probantium.

Argumentum negans, e notis internis desumtum, non quidem plus evincit, nisi librum authenticum esse posse; est tamen ad persvadendam authentiam necessarium; quia notae huic adversae, si dilui non possent, praesumtam de libri origine persvasionem everterent, vel saltem redderent suspectam. Istud tamen cum moderatione sumi oportet. Fit enim interdum, ut in libro quodam interpolationes a manu recentiori subrepant, vel etiam complementum addatur a serioris aetatis auctore. Non tamen propterea totius libri authentia perit; sed partibus his per legitima criteria discretis, reliquum manet genuinum. Sic e. g. Deuteronomii finis, in quo mors Moysis narratur, a Moyse scribi non potuit, neque tamen integrum opus Moysis reddit incertum. In psalmo 50. (Miserere mei Deus), quanquam postremi duo versus a recentiore manu videantur esse additi: cetera manent Davidis.

Argumenta affirmantia, quo plura et evidentiora habentur, eo magis probabilem reddunt libri authentiam, et aliquando fere ad certitudinem evehunt, si nempe tanta

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA Seite 43 von 294

sunt indicia sincerae originis, ut ea simul sumta deceptoris arte confingi sit moraliter impossibile. Nihilominus ad authentiam libri agnoscendam necessario non requiruntur; quia potest liber ita scribi, ut fere nulla, vel valde dubia contineat aetatis, maxime vero auctoris indicia; modo igitur adsint testimonia plenae fidei: de certitudine authentiae nihil decedit. Haec scilicet testimonia, seu ut dici solet notae externae, causam hanc decidunt, quatenus postulatis axiopistiae, numero, et pondere, satisfaciunt. Est enim quaestio haec, quis et quando librum scripserit, quaestio facti, quam argumentis historicis, hoc est, idoneis testibus oportet solvi; siquidem facta solum ex experientia sufficienter comprobata possunt humanitus innotescere.

Et quidem testimonia, in causa authentiae tanto justius postulantur, quanto certius est: bona vel mala fide saepe opera certis auctoribus rara cum dexteritate fuisse supposita, quae sagaciores etiam criticos diu fallebant; ut adeo argumenta e solis notis internis depromta causam plerumque relinquant ambiguam, et dum quibusdam eruditis plene satisfaciunt, ab aliis aut nihil, aut contrarium judicantur demonstrare. Quapropter cavendum, ne in rebus praesertim religionis, major vel minor vis tribuatur notis internis, quam natura thesis historicae admittat; neve contra testes idoneos, aut perpetuam traditionem liber aliquis levi judicio in suspicionem vocetur.

§. 10.

Authentiae librorum n. t. requisita.

Libros novi testamenti genuina esse illorum auctorum opera, quibus adscribuntur, pari modo demonstrandum est, prout probatur authentia (*γνησιότης*) cuiuscunque libri antiqui. Argumenta enim, quae aliorum librorum sinceram originem eruditis persvadent, in sacris quoque valere de-

bent, quin plus postulari queat ad eorum authentiam agnoscendam; nihilominus autem plura et validiora praesto sunt, quam pro quocunque alio libro. Divina quippe providentia tot argumentis bibliorum originem illustravit, ut etiam exaggeratis dubitantium postulatis perfecte satisfieret. Absolvuntur autem illa argumenta testibus, et notis internis.

Jam testes in medium prolaturi, observamus: eorum enunciationes esse diversas. Nec enim omnes disertum, et directum de authentia praebent testimonium, ut e. g. dicant librum, de quo quaeritur, omnino Petri vel Pauli genuinum opus esse. Nec hoc requiritur, sed sufficit, si operis notitiam prodant, et acceptae traditioni de eius auctore et origine non contradicant; imo sua loquendi et agendi ratione eandem probent. Itaque, si sententias ex illo depromant ad aliquam christianam veritatem probandam: manifestum erit: talem librum eis velut authenticum fuisse notum; qui proinde in tempus eorum aetate posterius haud recidit. Usus enim libri, qui non est, fieri nequit.

Porro testimonia, quae authentiam librorum sacrorum n. t. probent, petimus 1. Ex universali persvasione ecclesiae. 2. E testimoniis patrum et scriptorum ecclesiasticorum. 3. E consensu haereticorum. 4. E consensu gentilium.

§. 11.

Libros novi testamenti genuinos esse, probat communis ecclesiae sensus.

Libri quorum authentiam indagamus, a primis ecclesiae christianae rectoribus in usum ipsorum christianorum proxime scripti esse feruntur. An hoc veritate nitatur, nemo usquam certius testari valebit, quam ipsa illa societas christiana, in cuius manus et usum e supposito libri immediate transierunt; pari modo, ac nomen illius, qui epi-

stolam, vel donum quodcunque fert aut mittit, quin occultari velit, nemo melius ipso percipiente noscit. Ipsa ergo ratio jubet, primum omnium audiendam esse de librorum nostrorum origine ecclesiam christianam. Haec vero dictos libros in canonem recepit, ea cum persvasione: esse sincera illorum auctorum opera, quibus tribuebantur. Unde in canone semper sub expressis auctorum nominibus conservabantur, pariterque in ecclesiis praemittendo auctorum nomina praelegebantur. Cum autem ex historia canonis constet, hunc in toto suo complexu ad aetatem apostolicam pertingere, quatenus nullus e 27 libris possit produci, qui in Romana et pluribus aliis ecclesiis jam tunc in canonem non fuisset receptus, tametsi postea forte impugnaretur, patet: ecclesiae catholicae persvasionem de authentia librorum canonicorum tam esse antiquam, quam vetusta est ipsa eorum origo. Neque haec persvasio infundata esse potuit; cum beata illa apostolorum successio summa cum fide obiecta religionis tractaret, nec prius novos libros pro divinis reciperet, quam de auctoribus eorum certo esset informata. Quominus autem per fraudem in errorem duceretur: obstabat praesentissima occasio, originem libri vel a praesumtis, adhuc vivis, auctoribus, vel ab eorum aequalibus explorandi. Posteriores vero praesules traditionem apostolicam pro summo habebant criterio, ad quod etiam bibliorum examen revocabant *). Unde haec regula traditionis, accedente praesulum vigilantia, communem receptionem operum suppositorum plane impossibilem reddidit. Revera e sensu totius ecclesiae loquitur Tertullianus, dum in libro „De praescriptionibus“ haec scribit: „Nobis vero nihil ex nostro arbitrio indulgere licet, sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo induxerit“ idque etiam de suppositis libris intelligen-

*) Vide supra pag. 22 et 23.

dum esse, comprobat exemplum, quod idem Tertullianus in libro „De baptismo“ refert, sc. quemdam Asiae presbyterum, qui amore apostoli falsa Acta s. Paulo supposuit, loco motum fuisse.

E quo simul patet, communem illum ecclesiae consensum nihil de vi probandae authentiae amittere sive per dubia circa quosdam libros ventilata, sive per multa apocrypha, quae iam initio ecclesiae vulgata fuisse constat. Illa enim dubia nunquam a maiori ecclesiae parte fuerunt admissa, sed cum investigationi accuratiori praeberent ansam: defensores quidem authentiae in sua sententia magis confirmarunt: ambigentium autem dubia sensim dispulerunt. Quid quaeso maneret in cognitionibus humanis certum, si simul ac dubiis quorundam impetitur, esset reiiciendum? Recte s. Augustinus vim testimonii, quod ecclesia praebet, extollit dicens: „Quae unquam literae ullum habebunt pondus auctoritatis, si literae, quas apostolorum dicit et tenet ecclesia ab ipsis apostolis propagata . . . utrum apostolorum sint, incertum est“? (c. Faustum). Apocrypha autem nec nosceremus, nisi ecclesia nobis qua talia tradidisset; quae igitur luculente probant: ecclesiam non quemvis librum temere pro apostolico arripuisse, sed crisim, traditioni historicae innixam, adhibuisse, quamobrem apocrypha librorum canonicorum authentiam potius confirmant, quam evertunt.

§. 12.

Testimonia patrum.

Sensus ecclesiae luculentior fit e testimoniis patrum et scriptorum ecclesiasticorum, qui libros n. t. suis in operibus vel concessa authentia, vel sub expressis eorum nominibus adhibuere. Et testes quidem Origene posteriores ad probandum adducere nil opus est, qui scilicet, ut in historia canonis vidimus, omnes 27 libros nominatim re-

censet, et utcunque alii de quibusdam disceptaverint: ipse omnes ceu authenticos agnoscit, et quidem inductus, quod magnam attentionem meretur, traditione majorum, quam praesertim, quoad 4 evangelia multum significantibus verbis enunciat, dicens: „Sicut ex traditione accepi de 4 evangeliis, quae sola in universa Dei ecclesia, quae sub coelo est, citra controversiam admittuntur.“ *) Vir praeterea cum esset ampla eruditione et multarum regionum perlustratarum experientia apprime cultus: testimonium ejus vicem subit complurium ecclesiarum, dictam traditionem tenentium. Origenis igitur tempore omnes 27 libri, jamdudum noti erant, quod illorum originem altius quaerendam esse demonstrat. At haec saeculo 2-o quoque superior est; quoniam florentissimi saeculi 2-i scriptores iam publicum usum librorum n. t. manifestant a majoribus acceptum. Sic Justinus martyr in Apologia sua 1-a nr. 67. eorum usum in sacris coetibus consvetum perhibet, et in dialogo adversus Tryphonem judaeum nr. 103. distingvit *ἀπομνημονεύματα* scripta ab apostolis, et eorum discipulis, qua compellatione nostra 4 evangelia intelligi, tam ex eius Apolog. 1-a nr. 66-o ubi addit: quae dicuntur evangelia, et citatis ab eo sententiis: quam e supra allato Origenis testimonio persvademur. Accedunt tres gravissimi viri, Irenaeus, Clemens Alex. et Tertullianus, e quibus priores duo primis apostolorum successoribus proximi erant, ut hoc apud Eusebium l. 6. c. 13-o Clemens, et l. 5. c. 20. Irenaeus de se fatentur; constat utique Irenaeum Polycarpi, hunc autem Joannis apostoli fuisse auditorem. Praeterea uterque copiosam ecclesiarum in diversis provinciis florentium notitiam habuit; Irenaeus enim Asiam, Romam, Galliam, interjectasque provincias; Clemens vero Italiam, Graeciam et Aegyptum perlustravit, diversis usus magistris, „qui, ut ipse ait, sinceram apostolicae doctri-

*) Euseb. l. 6. c. 25.

nae traditionem custodiebant, quam jam inde a Petro, Jacobo, Joanne ac Paulo, sanctissimis apostolis, tanquam filii a parentibus continua successione traditam acceperant.“ *) Addimus Tertullianum, primum in ecclesia latinum scriptorem, vasta eruditione clarissimum. Tres hi viri, etsi saeculo 3-o defuncti, potissima tamen vitae et rerum gestarum parte saeculum 2-um repraesentant. Hi vero libros n. t. non noscunt tantum, sed et sub auctorum nominibus adducunt, atque ceu oracula divinae auctoritatis tractant. Nominatim Irenaeus 4 evangelia eo recenset ordine, assignans etiam originis occasiones, quo hodie in canone continentur. Idem non minus quam Clemens Alex. et Tertullianus utitur omnibus libris n. t. ceu divinis praeter 4. vel 5. passim auctores quoque nominando; imo Tertullianus memorat etiam latinam eorundem versionem jam usu tritam.

Quid amplius requiras, ut authentia librorum n. t. extra dubium collocetur? Certe, si post lapsum fere 120 annorum tam graves testes e traditione majorum laudent libros n. t., eosque publico ecclesiarum orientis et occidentis usu frequentari, et dudum in lingvas alias translatos declarent: authentia ipsorum cuivis aequo judici pro evicta habeatur oportet; praesertim cum complures ex 27 libris tam sint exigui, ut si silentio praetermissi fuissent, id mirum nemini deberet videri. Pauci illi, quorum usum Irenaeus, Clemens et Tertullianus non faciunt, supplentur omnes per Origenem eis fere aequalem: imo supplentur per ipsos quoque laudatos testes ad invicem collatos, nam si in Irenaeo et Clemente Alex. desideratur ep. ad Philemonem: occurrit apud Tertullianum, et ab Eusebio inter homologumena censetur. Si quasdam e catholicis Irenaeus non refert: sufficit Clemens Alex. qui teste Eusebio (l. 6. c. 14.) in libris ὑποτυπωσέων Judae epistolam et reliquas

*) Apud Euseb. l. 5. c. 11.

catholicas, de quibus inter multos ambigitur, laudat. Itaque viri hi ad invicem collati integrum 27 librorum ceu authenticorum numerum confirmant, cumque traditiones patrum sequi studeant: clarum est, libros ad aetatem illorum auctorum ascendere, quibus tribuuntur.

Sed plus dicimus: ipsa aetas apostolica nobis reliquit testimonia de sacris libris, quae solum ideo non complectuntur totum canonem, quoniam in paucis, et brevibus opusculis, quae sola aetatem tulere, nec locus nec occasio fuerat, omnium 27 librorum usum faciendi. Adhibet tamen jam Polycarpus ep. Smyrnensis in unica ep. ad Philipp. quam ad initium saeculi 2-i exaraverat, 11 libros n. t. Ignatius Antiochenus autem et Clemens Romanus minimum 8. Et quod plurimum ponderat, praeclari hi apostolorum discipuli expresse memorant illos Pauli libros, quorum specialem mentionem scopus et occasio fecit necessariam. Sic Clemens Rom. scribens ad Corinthios, Ignatius ad Ephesios, et Polycarpus ad Philippenses, distincte memorant epistolas Pauli ad eosdem lectores datas. Unde merito concludimus, reliquos etiam libros illo, quo defendimus, tempore, et ab iisdem auctoribus editos fuisse, tanto a potiori, quia nulla sunt a viris apostolicis conscripta opera, in quibus vestigia jam plurium, jam pauciorum librorum canonicorum non adessent; ut conferenti e. g. epistolam Barnabae, epistolam ad Diognetum vel Pastorem Hermae patet. Huiusmodi vestigiis autem inde magnum pondus accedit, quod plena librorum horum collectio aetate patrum apostolicorum certe non sit inferior. Ubi ergo citatur vel adhibetur unus, aderat et aliorum corpus, ut adeo passim ad finem saeculi 1-i singuli in solidum repraesentent alios plerosque.

Haec authentiae argumenta e sensu ecclesiae patribusque desumta, rem per se jam conficiunt, et qui nihilominus librorum canonicorum suppositionem tueri vellet, probandum haberet: omnia documenta authentiam proban-

tia valore destitui; insuper autem teneretur alia, contrarium docentia, in medium producere, quibus nec historia obstet, nec auctoritas publica desit. In specie assignandum esset tempus, quando libri isti compilati fuissent, quomodo in tabularia ecclesiarum, non obstante vigilantia pastorum irrepserint; quid dissitas provincias apostolicam traditionem servantes et urgentes, ad eos recipiendos permoverit; unde repetendum, quod adversarii hanc novitatem et fraudem non detexerint, praesertim apostatae etc. Et haec omnia saltem tot tamque gravibus testimoniis forent probanda, prout authentia defenditur. Non sufficit enim negasse, sed in re facti, qualis est existentia ecclesiae christianae, et huic connata universalis fides authentiae, historicis rationibus negatio esset fulcienda. At hoc praestari nequit. Proinde testimonium ecclesiae et patrum authentiam librorum sacrorum n. t. irrefragabilem reddit.

§. 13.

Effata et facta haereticorum.

Testimoniis et allegationibus patrum, quae scripturarum n. t. usum iam saeculo 1-o et 2-o vigentem satis comprobant, juvat addere consensum ejusdem aetatis haereticorum, ideo maxime, quia hi domestici hostes ecclesiae, in favorem ejusdem scripsisse dici nequeunt, suppositionem autem, si probare potuissent, certe catholicis objecissent. Videmus autem ab eis n. t. scripta frequenter memorari, et adhiberi. Aliquos quidem libros rejiciunt, alios mutilant vel interpolant: sed rejectionis causam vel nullam assignant, mero arbritrio indulgentes, ut Irenaeus, Tertullianus et Hieronymus expresse testantur; vel certe aliam, quam quae suppositionem probare valeret. Et quia alii alia scripta excludunt, non omnes autem eadem: ipsa haec dissensio ostendit non argumentis historicis, verum dogmaticis pugnatum fuisse. Sive igitur utantur libris, sive illos

rejiciant, in utroque casu testes agunt maturioris, tempore suo, originis eorundem.

Porro libri sacri n. f., quos ab haereticis receptos fuisse constat, sunt sequentes:

Saeculo 1-o

Apud Cerinthum, Ebionitas et Nazarenos evangelium s. Matthaei magis minusve placitis eorum accomodatum.

Saeculo 2-o

Apud Marcionem evangelium Lucae, et 10 epistolae s. Pauli (ad Rom., duae ad Cor. ad Gal. Ephes. Coloss. Philipp. duae ad Thessal. ad Philemonem); apud Tatianum 4 evangelia, e quibus ille harmoniam composuit *διὰ τεσσάρων* suis placitis accommodatam, Actus apostol. epist. 1. ad Cor. ad Titum; et generatim loquitur de scriptis sacris christianorum, quorum effata virgines christianae ad cola pronuncient. Valentinum cum asseclis agnovisse 4 evangelia, non solum testes antiqui profitentur, sed etiam proprium illius opus, quod *πιστὴ σοφία* inscribitur, comprobat. Ceterum de Valentino et hujus praecipuis discipulis Tertullianus testatur, per violentas explicationes plus quidem instrumento (a. et. n. f.) nocuisse Marcione, illud tamen non mutilasse (de praescr. 38.), seu universam scripturam 27 librorum recepisse. Itaque saeculo 2-o omnes 27 libri ipsis haereticis cogniti erant, quod eorum originem apostolicam confirmat.

§. 14.

Consensus gentilium.

Libri sacri christianorum etiam ad gentilium notitiam pervenerunt, quorum alii, uti magistratus civiles, igne ferroque: alii autem, sc. philosophi omni eruditionis genere

scripta illa impugnarunt, quin tamen unquam christianis bibliorum suppositionem objicerent. Criminabantur, ea esse falsis narrationibus referta, aut doctrinas absurdas continere: sed ibi vim maximam suae impetitionis reponebant, quod tam falsa, tamque ignobilia ab ipsis discipulis Christi essent scripta. Itaque authentiam velut praecipuum telum adhibebant contra christianos, sicque sibi et illis certissimam fuisse demonstrarunt. Nequid de persecutoribus, qui saec. 2-o et 3-o traditores ad biblia prodenda pellexerunt, amplius dicamus: sufficiat adduxisse ex eis saeculis tres acutos scriptores, Celsum, Lucianum et Porphyrium, qui omnes pleraque christianorum scripta noverunt, vel saltem de iis in complexu loquuntur. In specie

Celsus saeculi 2-i philosophus e secta Epicuri in suo opere λόγος ἀληθής, cui Origenes octo libros opposuit, scripta christianorum, velut opera discipulorum Jesu, vocat evangelium; plures eorum narrationes, uti de nativitate Jesu, de stella magorum, de infanticidio, de miraculis Jesu, de vocatione discipulorum etc. excerpit, adjiciens: haec e vestris propriis scriptis sumsimus, nec opus est alio teste, ipsi vos vestro proprio gladio perimitis. Idem omnes 4 evangelistas diversis contradictionibus involvere conatur, proinde novit omnes, non minus ad quasdam epistolas Pauli reflectere videtur.

Lucianus Samosatenus epicureus sub M. Aurelio imperatore (161—180) vixit. Odium suum in religionem christianam maxime opere, quod Peregrinum inscripsit, effutivit; memoratque libros christianorum, qui apud eos publice legi et exponi soleant. Proinde una cum Justino martyre, testis publici usus librorum sacrorum, quin suppositionem vel a procul suspicetur.

Porphyrius saeculi 3-ii scriptor criticus, non solum ob eruditionem speciali attentione dignus, sed etiam, quod a sacris christianorum relapsus, immani odio in eos

flagrabat, et certe quidquid fraudis eis oggerere potuisset, in medium prolaturus erat; jam autem in suo opere 15 libris comprehenso, dum alia omnia ridet vel accusat, suppositionis nusquam meminit, nisi quoad Danielis librum. *)

---

*) Nesciunt, quid postulent, qui tantis authentiae argumentis non acquiescunt. Quo tandem evaderet omnis ars critica, si ad credendam authentiam cujusdam libri profani, e. g. operum Homeri, quae primus memorat Herodotus, quinque saeculis ab Homero distans, vel paria postularentur argumenta, et si commemoratio aequalium et supparium, si publicus usus, si religiosa traditionum custodia, si ipsorum hostium fassiones, si complurium provinciarum consensus, si codicum et versionum unanime testimonium – authentiam tamen dubiam relinquerent? Quid, si nos tam extensam, tamque accuratam demonstrationem postularemus pro omnibus illis operibus, quae adversarii tanquam authentica adhibent? Siquid e scriptoribus aliis v. g. Josepho Flavio, Svetonio, Tacito, Eusebio etc. contra scripturam moveri potest, id argumenti instar ita producitur, ut de authentia illorum scriptorum nec quaestio fiat: cum tamen argumenta, authentiam eorum probantia, a numero et pondere argumentorum bibliis faventium longe distent. Praeterea in historia adhibentur documenta vetusta ceu genuina, quorum γνησιότης non alia nititur demonstratione, nisi quod nulla sit causa de suppositione cogitandi. Et profecto, si regula haec non valeret: tam historia, quam usus rerum in vita quotidiana fieret impossibilis; nam in plurimis casibus cessaret fides humana. Cur itaque regula tam communis, tamque rationalis in causa biblica minus valeat, licet insuper argumentorum stricte probantium validissimo muniatur exercitu? Scilicet aequitas aliis libris exhibita nostris neganda est, quia praecipiunt non ultra sobrietatem sapere! Omnino quilibet sacer scriptor iure postulat adversarios: ὥστε ἐχθρὸς ὑμῶν γέγονα ἀληθεύων ὑμῖν; (Gal. 4, 16.).

§. 15.

Authentiam ss. ll. n. t. confirmant notae internae.

Testimonia, seu argumenta externa sinceram originem ss. ll. n. t. prorsus certam reddunt, ita ut aliis argumentis recte supersedere possemus: nihilominus ad augendum decus fidei nostrae conducit, fontium revelationis authentiam ex notis internis quoque illustrare, ut adpareat, quam firmo pede illa consistat, et quantum augeatur veritas et dignitas bibliorum, si undequaque pervestigentur. Notae internae eiusmodi sunt, ut lectorem penitus transferant in statutam aetatem, et adjuncta scriptorum, quin hanc harmoniam ulla turbet inconvenientia. Profecto, nisi quis animo contra biblia male praeoccupato ad collationem accedat, ita se domesticum sentiet in personarum locorum temporum convenientia, ut si nunquam de suspicione fraudis quidquam audivisset, ipse equidem ad eam non deveniret. Docet hoc historia. Per saecula libri hi usu quotidiano tam publico, quam privato terebantur, a viris, qui cum origini eorum aut aequales, aut vicini essent, notitiamque adjunctorum perfectam haberent, in cognitionem suppositionis facillime poterant pervenire: nihilominus fraudem nemo suspicabatur, *) utut legio librorum apocryphorum quotidianam hujusmodi suspicioni poterat ansam praebere.

Porro argumentum e notis internis formatur hoc modo: Testes authentiae bibliorum, haec exarata fuisse probant saeculo primo, a viris natione et religione judaeis, conditionis humilis, partim Jesu Christi immediatis discipulis, partim horum sociis, qui omnes post ejus fata religionem christianam ubique propagaverint, et fidelium praecipui

*) Dogmaticae difficultates contra paucos libros olim suscitatae ipsis adversariis nostris nullum scrupulum injiciunt; adeo versantur extra aream thesis.

rectores, doctrinaeque custodes fuerint: haec vero omnia patent, etiam e bibliorum argumento, stylo, elocutione, paucis: materia et forma, sive spectetur pars eorum historica, sive didactica. In specie

1) Aetas apostolica expresse notatur in Actibus apostolorum de ipso hujus libri auctore, qui sc. scribit se Pauli itinerum comitem fuisse, evangelium autem jam ante exaratos Actus edidisse. Cum itaque ex historicis testimoniis certissimum sit, s. Paulum ante annum ae. v. 70-um Romae supplicio affectum fuisse: tam Actus quam evangelium scribi debebant saeculo 1-o. Idem confirmant aliae notae internae. Quemadmodum enim in Actibus apostolorum fere trecentis vicibus injicitur mentio personarum, aut rerum, quae cum historia eius temporis optime conspirat: ita in evangelio Joannis notantur numeri, et permultae speciales topographicae vel historicae determinationes, quas historicus a rebus gestis absens tam exacte scribere, quin cum fidedignis aliorum relationibus aut semetipso collideret, non potuit. Sed et expresse dicit auctor, se praesentem fuisse (Joann. 19, 35.). Jam autem evangelium Joannis reliqua tria nota ponit, ut suo loco ostenditur. Porro Matthaeus, Marcus et Lucas ita scribunt, ut lector cogitare debeat, scribentibus iis templum adhuc stare, et in eo sacrificia offerri, urbemque ipsam florere, pharisaeorum potentiam nondum fractam, et judaeos ceteris gentibus infestos esse. Alioquin, dum Matthaeus Christi vaticinium de templo retulerat, c. 24. absque dubio observasset, illud ad literam jam impletum esse. Deinde evangelistae Christi agendi et loquendi rationem ita exhibent, ut qui aetate illius longe posterior fuisset, proprietates eius in hac forma, et hac plenitudine exprimere non posset. Narrant etiam apostolos in persona Christi quidem agnovisse Messiam, cuius hoc tempore communis fuit exspectatio: at non sine frequenti animorum lucta in hac fide perstitisse, qui scilicet praejudiciis judaicis, longe dissimilem Messiam repraesentantibus, fuissent innutriti.

Quare in persona et natura Christi describenda ideas referunt datas, non autem vel connatas, vel in sua phantasia partas, prout quidam neoterici somniabant, quos vel sola verba s. Ignatii m. aeque, ac sui temporis haereticos prosternunt, dicentis in ep. ad Smyrnaeos: „Si opinione sola haec a Domino nostro sunt peracta: et ego opinione solum vinctus sum.“ Praecipue vero historia passionis Christi cum suis adjunctis viva est imago aetatis apostolicae, quam posteriores scriptores tam fideliter delineare non valuissent. Characteres personarum ut synedrorum, Pilati, Herodis, sic notantur, prout aliunde quoque innotuerunt. Forma tumultuaria judicii, odium pontificum in Christum, historia custodiae sepulchri genuinam eorum indolem repraesentant.

Lingva est hebraizans, stylus hominum simplicium, narrandi ratio aetati et genti conveniens. Fuisse natos judaeos, indicat etiam eorum peritia scripturae v. f. tum rituum et consvetudinum hebraicarum, quae ubique obvia est.

2) Eadem est forma orationis, scilicet hebraizans, et plana simplexque in libris didacticis, nisi dum sublimitate doctrinarum coelestium, vel affectu sensuque potestatis contra impios exercendae, elevatur, e. g. in epistolis Pauli. Ast ea ipsa loca novum praebent argumentum pro authentia; ostendunt quippe scriptores nostros in fideles, ad quos libellos dabant, potestate regendi et coercendi fuisse usos, quales aliunde fuisse constat. Si expendantur epistolae s. Petri, Jacobi, Judae, observare est, illos quoque vitia cum potestate redarguere, episcopis praecepta dare (1. Petr. 5), Christi comites fuisse (2. Petr. 1. I. Joann. 1.), integris provinciis mandata et adhortationes impertiri (1. Petr. 1. Jacob. 1.) paucis: ita scribere, prout supremi ecclesiarum praepositi scribere solent. Haec jam omnia apostolicos indicant scriptores.

Ipsa doctrina, quam tradunt, puritate sua, modoque proponendi apostolicam originem manifestat; praeterquam

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA Seite 57 von 294

quod interdum diserte fateantur, se illam a Jesu Christo percepisse (I. Cor. 11. 15. Gal. 1. I. Joann. 1. II. Petri 1.).

Not. 1) Haec indicia genuinae originis, ex argumento et stylo depromta, rem aliunde certam et confirmant et illustrant satis, ut non sit opus ad specialissima demonstrationis exempla descendere, quae videri possunt apud Hugium l. c.

Not. 2) Recentior pseudocritica, mira quadam hallucinatione, de librorum authentia et auctoritate magis e notis internis fert sententiam, quam e testibus; quia scilicet iste campus magis favet arbitrio, quam fides historica. Charta patiens est; de verborum igitur sensu, de styli indole, de nexu vel conciliatione antecedentium cum sequentibus facile est longe lateque disputare, praesertim, quum sermo humanus raro excludat omnem diversae opinionis possibilitatem: at multo prudentius est, sensum communem, et virorum fidedignorum auctoritatem ingenue sequi; nec enim vel sermonis, vel ingenii divinum donum ad veritatem perpetuo subvertendam collatum est, alioquin peior esset hominis, quam brutorum conditio. Hoc etiam s. Hieronymus huiusmodi criticis multo vidit acutius. Ille nempe adversus Helvidium disputans, haec memorabilia verba profert: „Verum nugas terimus, et fonte veritatis omisso opinionum rivulos consectamur. Numquid non possum tibi totam veterum scriptorum seriem commovere, Ignatium, Polycarpum, Irenaeum, Justinum martyrem“ etc. Fons ergo veritatis est tota veterum scriptorum series, reliqua sunt rivuli opinionum. Hoc idem autem sanctus doctor etiam de auctoritate librorum tenuit ut probant eius verba supracitata de ep. ad Hebr. et Apocalypsi, quam utramque se suscipere dicit, nequaquam huius temporis consvetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequens. Ceterum plures jam viri docti demonstrarunt, quam lubrica sit argumentatio e solis notis internis, et quam misere lapsi sint in hac arena celeberrimi critici. Sane non semel evenit, ut quod alter e stylo affirmabat: alter ex eodem stylo

Articulus III.

Integritas II. n. t.

§. 16.

Notio ejusdem.

Etsi libri sacri christianorum ab iis auctoribus descendunt, quos communiter praeseferunt: si tamen in argumento

---

prorsus negandum inveniret. Sic e. g. etsi Wolfius orationem pro M. Marcello ex argumentis internis talem declaraverit, quam Cicero nec vigilans, nec dormiens poterat scribere: recentior tamen critica in sententiam eius minime concedit, stylum Ciceroni bene convenire defendens. Pariter dum idem criticus unam ex orationibus Ciceronis contra Catilinam scriptis declarasset spuriam, quin eam designaret: erant quidem, qui claro nomine Wolfii et argumentis internis nixi sive primam, sive secundam, sive denique quartam pro supposita haberent: at eos in tenebris palpitasse, et dormientem ducem secutos fuisse hodie jam nemo ambigit. Sed ut ad nostra redeamus: Schleyermacherus tria priora evangelia e notis internis in dubium vocans, vix tulit suorum adplausum: jam Bretschneiderus quartum impetiit, quod alter velut invictae auctoritatis documentum tribus prioribus opposuit. Sic fodiunt luxuriantia ingenia cisternas, quae continere non valent aquas! Notatu digna sunt verba Ern. Wilh. Hengstenberg Prof. Berolin. de praesenti materia: Es wäre nicht mehr als billig, dass diejenigen, welche bei der heiligen Schrift mit ihrem auf blos innere Gründe gestützten Urtheil sogleich zufahren, vorher ihre Unfehlbarkeit an anonymen litterarischen Productionen der neuesten Zeit erprobten, bei denen dem Beweise aus inneren Gründen ein weit reicheres Material zu Gebote steht. Wie sie da bestehen werden, weiss der Verfasser schon nach den vielfachen Erfahrungen zum voraus, die er bei

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA Seite 59 von 294

magnam mutationem passi essent, sive amittendo ejus partem, sive principalibus objectis transformatis vel interpolatis: eo ipso purum religionis fontem non praeberent, nec ex iis certo cognosci posset, quid Christus et apostoli docuerint et gesserint. Ad hoc necesse est, ut integri ad nos pervenerint, ne genuina doctrina et historia cum subtrusis figmentis confundatur. Unde videndum, an necessaria polleant integritate. Duplex autem distingvitur cujusvis libri integritas; altera quam vocant criticam, altera dogmatica. Prior adesset, si liber nec minimam in argumento subivisset mutationem, sed iisdem verbis et sententiis eandem exprimeret materiam et formam, quam ab auctore accepisset. Talis integritas in libro, qui per decursum saeculorum infinitis describitur vicibus, humano modo vix est possibilis, et in nostris libris nec ab ipsis adversariis postulatur: bene gnaris, a singularum vocum et apicum conservatione religionis integritatem haud pendere. Criticam proinde integritatem librorum sacrorum non defendimus; errore enim scribarum jam olim plures contraxerunt naevos, unde postea lectionum varietates manarunt. At omnes hujusmodi mutationes non afficiunt, neque reddunt incertam

---

der von ihm herausgegebenen Zeitschrift gemacht. Die neueste ist die, dass Prof. Baur, der so zuversichtlich gegen alle äusseren Gründe, dem Apostel Paulus die Pastoralbriefe, und den Brief an die Philipper, dem Apostel Petrus seine beiden Briefe abspricht, mit derselben Zuversicht ihm den Artikel, „über die Zukunft unserer Theologie“ beilegt, sich auf die klar zu Tage liegende Übereinstimmung der Ideen, mit dem Vorworte berufend. Erst jetzt nachdem der Verf. versichert hat, dass der Artikel ihm nicht angehört, wird der scharfsinnige Kritiker die Differenz des Styles und der ganzen übrigen Eigenthümlichkeit von dem Vorworte entdecken.“ (Die Authentie des Pentateuchs 1. B. 1836. Prolog. p. 65). Ibidem plura aberrationum criticarum exempla invenies; ceterum talia etiam literatura patria suppeditat.

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA Seite 60 von 294

ipsam doctrinam vel historiam; et plerumque argumentis criticis restitui possunt. Tanto magis defendimus integritatem dogmaticam, seu talem conservationem ll. ss. ut eadem in illis ad nos pervenerit historia et doctrina, quam scriptores ipsi ad posteros transmiserunt. Et haec est, quam hostes revelationis in bibliis desiderari contendunt, affirmantes: lapsu temporis novas doctrinas, novaque miracula inserta vel saltem per mutationem contextus eventus naturales in miracula, doctrinas rationis in mysteria transformatas fuisse.

Integritati dogmaticae opponitur corruptio, quae fit 1) mutando genuina; 2) addendo nova, seu textum interpolando; 3) mutilando, dum propria auctoris omittuntur seu resecantur.

§. 17.

Libri n. t. sunt dogmatice integri.

Eandem nunc doctrinam et historiam in bibliis contineri, quae ab ipsis auctoribus in ea deposita fuit, ostendit

1-o. Collatio codicum, qui supersunt tam in textu originali, quam in versionibus. Etsi enim aliqui libri vel partes librorum in quibusdam desunt, cuius rei variae sunt causae: quotquot tamen habentur: eandem referunt historiam, eandem doctrinam. Nusquam tribuitur Jesu alia origo, patria, mors; nusquam alii discipuli; apostoli ubique eadem docent in epistolis, Jesum Christum et hunc crucifixum, judaeis scandalum, gentibus stultitiam; vicariam ejus passionem et satisfactionem, fidei in eum necessitatem, judicium, resurrectionem etc.

2-o. Collatio traditionis dogmaticae, quam ecclesia, libros n. t. velut fontem suae doctrinae agnoscens, omni tempore fidelibus proposuit. Haec quippe cum hodierno argumento s. scripturae per omnia consentit. Non potuit igitur olim aliud in bibliis contineri, secus ecclesia vel reces-

sisse a veneratione s. scripturae, vel secum ipsa pugnasse dicenda foret, utpote quae scripturam pro fonte suae doctrinae agnoverit quidem: nihilominus longe diversa docuerit.

3-o. Collatio ss. patrum, partim quoad universam doctrinam et historiam religionis, quam in suis variis operibus tradunt: partim quoad commentarios biblicos quos reliquerunt. In his enim totam fere scripturam descripserunt, et suis interpretationibus illustrarunt. Atqui haec non aliam continet doctrinam et historiam, quam quae nunc in canone habetur.

Argumenta haec dogmaticam corruptionem bibliorum, quae post quartum saeculum aerae christianae facta fuisset, ita excludunt, ut qui contrarium defenderet, videns non videre dicendus esset.

Quominus autem primis quatuor saeculis contigerit, obstat 1-o consensus citatorum hujus epochae cum textu nostro, non quidem semper in verbis, sed tamen in substantia doctrinae et historiae, de qua sola hic agitur. Jam enim in patribus apostolicis quaedam occurrunt citationes etsi paucae; longe copiosiores autem in Justino et Irenaeo; copiosissimae denique in Clemente Alex. Tertulliano et Origene. Certe, si substantialis mutatio in ll. ss. accidisset, ea ex millenis citatis adpareret, atqui nihil simile quisquam potuit producere.

2-o. Nec auctor, nec tempus factae corruptionis potest assignari, nec modus cogitari, quo hoc perfici cum effectu valuisset. Agitur quippe de primis ecclesiae saeculis, quo tempore ardens erat zelus fidei, summa praesulum vigilantia, lectio librorum assidua tam publica quam privata: quomodo igitur in talibus adjunctis principale bibliorum argumentum potuisset corrumpi? Ut deinde corruptio effectum nancisceretur, oportebat eam in omnibus publicis et privatis exemplaribus, quae per totum christianum orbem sexcenta erant dispersa, aequaliter, easdem corrumpendo

materias et partes perfici; nec in solo textu originali, sed etiam complurium lingvarum versionibus: alioquin exempla corrupta, ex incorruptis argui, et emendari potuissent. Quis haec fraudis humanae miracula credat?

§. 18.

Lectiones variantes integritati ss. ll. n. t. non obstant.

Si documenta, quae textum n. t. exhibent, in quibusdam vocibus vel sententiis discrepent: differentiae hujusmodi vocantur lectiones variantes. Quanquam proprie illae varietates textus hoc nomine censentur, quae magis vel minus aliquam speciem verae lectionis habent, seu, quae dubium quantulumcunque movere possunt, an non ab auctore scriptae fuerint. Huc ergo non pertinent manifesti errores calami, vel typi, ubi lector nihil de genuina lectione dubitat, sed eam ex evidentia rei sine haesitatione restituit. Nec pertinent huc menda, quae sive ex deperditis vocibus aut numeris, sive alio modo decursu saeculorum in textum irrepserint, quin ob defectum monumentorum corrigi queant, modo certum sit ab auctoribus ea scribi non potuisse, e. g. dum l. 1. Reg. Saul dicitur filius anni fuisse, quando regnum consecutus est. Porro monumenta, e quibus lectiones variantes colliguntur, in novo foedere sunt valde copiosa, unde etiam ingentem earum copiam oportet enasci. Illuc nempe referuntur codices manuscripti, hactenus circiter 1200 cogniti, at non omnes collati; versiones antiquae, ut latinae, syriacae, coptica, aethiopica, gothica, armenica; item citata patrum maximo numero, libri symbolici, liturgici, acta conciliorum etc. Denique editiones fundamentales, quae repraesentant codices manuscriptos, e quibus adornatae fuere. Ex his igitur copiosissimis fontibus per collationem textus, quae tamen nondum est absoluta, erutae sunt plurimae lectiones variantes. Joannes Millius Anglus 30,000 earum collegit, hicque numerus jam

nunc prope alterum tantum efficit. Neque tamen per id sacro textui de integritate dogmatica quidquam decedit, imo potius ea magis magisque patescit.

Praeter paucissimas enim reliquae omnes circa minutias versantur, uti sunt vocum transpositiones, innocuae additiones aut omissiones, quaedam supplementa e locis parallelis, correctiones grammaticae etc. Sed etiam si graviores essent, nullum dogma vel miraculum everterent; quia ex aliis locis haud variantibus idem articulus fidei, abunde confirmatur. Plerumque autem ipsa varians lectio jam ideo nullam causat perplexitatem, quia ope regularum criticarum, quaenam e pluribus praeferenda sit, secure determinatur; unde etiamsi in singula voce biblica adesset varians: hoc tam parum redderet dubiam textus integritatem, quam parum dubitamus de eo, num testis omni exceptione major alteri inepto, vel num 20 aut 50 testium unanimis fassio, ceteris paribus, praeferenda sit assertioni unius testis.

Quin potius haec magna varietatum copia alio sub respectu ad certitudinem religionis auctoritatemque scripturae declarandam multum confert. Quid enim cogitandum, si in hac propemodum infinita monumentorum varietate omnes prorsus testes eundem repraesentent religionis complexum, ita ut nemo unus ex his varietatibus alium possit compilare catechismum, aliud symbolum, diversa sacramenta, diversa morum officia? Mira haec unitas inde etiam novam consequitur auctoritatem, si perpendatur, frequentissima illa monumenta non ejusdem esse regionis producta, sed omnium totius orbis provinciarum, diversorum idiomatum, omniumque aetatum. Fontes igitur, qui alias in locis innumeris ab invicem dissident, in historia tamen et doctrina pucherrime concordant: hanc utramque irrefragabilem reddunt. Demus jam, numerum illum lectionum variantium progressu temporis in decuplum auctum iri: quid inde sequetur? Patebit 1-o vel numerum docu-

mentorum sacri textus per novas detectiones increvisse, vel cognitos jam testes accuratius fuisse collatos. Atqui, si hactenus collata monumenta in eadem historia et doctrina consentiunt, ipsa autem repraesentant omnium temporum et locorum fidem: fieri nequit, ut in posterum novum quoddam religionis argumentum ex ipsis documentis christianis eruatur.

Patebit 2-o ipsas lectionum varietates facilius dijudicari, ac per consequens, quaenam sit lectio vera certius posse determinari. Cum nempe testes non in iisdem locis discrepent: ubi alter novum quid legit: plerumque contra se habet reliquorum turbam longe majorem, qui nullum de vera lectione relinquunt dubium. Si autem varietas antiqua in neodetectis vel exactius collatis monumentis repetatur: sic etiam ad numerum alicujus partis accedet, et judicium de veritate lectionis longe saepius alleviabit quam aggravabit. Itaque multae lectiones variantes, utpote ex multis testibus profectae, auctoritatem textus augent, nedum minuunt. Ex adverso, si codices, aliique testes deficerent, nullae quidem vel paucae essent lectiones variantes, at cum in tali quoque casu de erroribus oscitantiae et ignorantiae humanae nemo dubitaret: media autem eosdem detegendi et corrigendi non suppeterent: ipsa haec absentia vel paucitas lectionum variantium textum redderet suspectum.

Ceterum, ne quis multitudine varietatum biblicarum ideo offendatur, quod fors existimat, divinae providentiae convenientius futurum fuisse, si sanctissimus hicce textus a varietatibus mansisset immunis vel saltem minus affectus: observamus: Deum humano modo voluisse sacrum textum conservari et propagari; ideoque hominum labili conditioni per supernaturalem interventum, qui ad scopum religionis necessarius non fuerat, occurrere noluisse. Quantopere autem providentia divina textui sacro faverit: facile pate-

bit, si grandis ille, ut videtur, lectionum variantium numerus ex aequo supputetur.

Ponamus per 14 saecula, antequam ars typographica inveniretur, sacrum textum per orientem et occidentem in variis monumentis (uti codicibus, patribus, versionibus etc) ter mille vicibus fuisse descriptum. An non ad stuporem usque cautos et diligentes indicat plerosque scriptores, si quilibet nonnisi 20 errores, inter quos plurimi minutissimi, commisit? Et si variantes juxta supradicta reducantur ad verum lectionum variantium valorem, ubi nempe verus textus et sensus in re graviori manet incertus: profecto magna illa ut prima fronte videtur, variantium copia in toto novo foedere vix numerum librorum canonicorum exaequabit, nedum aliquod religionis dogma reddet incertum.

Articulus IV.

Auctores librorum n. t. sunt fide digni.

§. 19.

Status quaestionis.

Supervacaneum forsitan videri possit, inquirere in fidem talium librorum, quos pro divinis haberi novimus. At cum irrefragabilis auctoritas ecclesiae, quae nos de librorum canonicorum divino charactere informat, non ope revelationis unicuique seorsim communicatae, sed humano modo, via historica ex relatione evangelistarum innotescat: an haec relatio veritate nitatur, perscrutandae sunt dotes testium, a quibus procedit. Pari fere modo, ac dum nuncius aliquis principem adesse significat, cui obsequia sunt praestanda: prius, an fidem nuncius mereatur, nosse oportet. Si igitur homines hominibus persvadere velint, ecclesiae divinam competere auctoritatem: primum demon-

strandum est, an ipsi audiri mereantur, seu an quod asserunt, ex certa scientia et cum studio veri velint persvadere. Itaque in bene ordinata scientia Introductionis, dum auctoritas ll. ss. e fundamento construitur, oportet primum ἀξιοπιστίαν humanam comprobare, ut ejus corollaria rite deducantur.

Porro auctoritas cujusvis scriptoris fundatur in scientia et veracitate, nec a nostris plus exigendum. Hae autem dotes in tam eminenti gradu propriae sunt scriptoribus biblicis, ut nulli profani scriptores in hoc charactere eis possint comparari. Unde fidem summam, quae humanae conditioni convenit, sibi vindicant. Juvat autem hoc per partes ostendere, qua in re non erit laborandum, siquidem ex probata semel authentia, scriptorum auctoritas necessario consequatur.

§. 20.

Auctores bibliorum n. t. sunt fide digni spectata scientia.

Perfectam scientiam rerum, quas auctores nostri scribunt, eis tribuendam esse, haec momenta evincunt:

1. Plerique erant praesentes in iis, quae referunt, aut a praesentibus immediate instructi.

2. Omnes ad cognoscendas res descriptas idonei, sive considerentur subjecta, sive objecta.

3. Relationes eorum consentiunt cum narrationibus fide dignis aliorum scriptorum.

Quantum ad 1) Universalis traditio christianorum perhibet: ex octo scríptoribus n. f. quinque sc. Matthaeum, Joannem, Petrum, Jacobum et Judam fuisse perpetuos Christi comites per totum muneris ejus publici tempus, qui doctrinas ejus propriis exceperint auribus, facta vero pro-

priis oculis viderint. Scire igitur objecta librorum suorum plane poterant, nisi sano judicio, sanisque sensibus caruisse censeantur. Tres alii, sc. Paulus, Lucas et Marcus non sunt quidem e numero individuorum Christi discipulorum, cognitione tamen et rerum gestarum, et doctrinae, quam tradunt, perfecta pollebant. Et Paulus quidem paucissimas adfert res a Christo gestas, easque ex universali fama publica, et ex testibus immediatis, quibuscum conversabatur, longe uberius cognoverat. Reliqua omnia vel propriae vitae vicissitudines, vel doctrinam christianam continent. Illas ignorare non potuit; hanc, sicut et omnia ad oeconomiam revelationis christianae pertinentia ex immediata revelatione graviter repetit, cujus asserti veritas confirmatur argumentis, quae e conversione vitae, hujusque consectariis repeti possunt. Quomodo enim in media persecutione subito fidem Christi amplecti, Damasci per tres fere annos publice coram adversariis docere, hosque confundere potuisset, nisi repente divinitus instructus? Certe christiani hujus urbis eum ad hanc perfectionem non excoluerunt, ipse enim testatur, se neque ab homine, neque per hominem evasisse apostolum, sibique ab illis, qui videbantur columnae, nihil fuisse collatum. Si igitur admittitur ejus bona fides in referendis propriae vitae phaenomenis: nihil prorsus obstat, quominus in hac quoque relatione admittatur. — Lucas claris verbis asserit in praefatione evangelii: se ab illis fuisse instructum, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerant sermonis. Ab iisdem utique percipere potuit, etiam historiam actuum apostolorum usque ad partem illam, cujus ipse qua comes Pauli praesens erat testis. Marcus denique versatur in Petri ministerio, cujus discipulus et interpres scribitur ab antiquis. Copiam igitur cognoscendarum rerum, a se relatarum, in immediatis testibus praesentissimam habuit. Ceteroquin evangelia Marci et Lucae in substantia non differunt ab evangeliis Matthaei et Joannis, sicut doctrina Pauli

cum doctrinis aliorum apostolorum plene consentit. Itaque scientia scriptorum n. f. tanquam praesentium vel a praesentibus instructorum prorsus certa est.

2) Scriptores n. t. erant etiam ad cognoscendas res, quas referunt, plene idonei, sive spectetur eorum conditio, sive objectorum natura. — Testis etsi praesens fidem non meretur, si hoc quod vidit, et audivit, rite percipere non valuit: sive ob hebetudinem mentis, sive ob defectum sanorum sensuum. Quapropter non vane quaeritur, an nostri scriptores objecta a se tradita rite valuerint cognoscere. Ut autem hic omne tollatur dubium, considerari urgemus humilem eorum vitae conditionem, et librorum argumentum. Qui sine cultura literaria, sine subsidiis artis, talem proponunt doctrinam, qualis in bibliis continetur: illis defectum sanae mentis nemo, nisi qui ipse insaniat, objecerit. Veritates limpidissimae, ad quarum claritatem vel sublimitatem nunquam antea ratio eluctata fuit, ita proponuntur ab iis, ut meditantium admirationem, conformiter autem viventium intimam persvasionem producant. Accedit: doctrinas has omni aevo a cultissimis quibusque viris et populis, tanquam indigentiis intellectus et cordis humani optime respondentes, fuisse susceptas, et ut unicam veram philosophiam probatas. Anne igitur scriptores fatui dicendi sunt, quos sapientissimi plerique sequuntur? Itaque habilitas auctorum ad cognoscendas doctrinas, quas tractant, ex ipsis eorum monumentis maxime resplendet; sufficitque respondere plura postulantibus: tolle lege, tolle lege. Quod vero respicit ad facta, quae referunt, eorum pleraque, in specie vero illa, de quibus forte adversarii dubitare amant, sunt maxime publica, sub oculis gesta; uti sanationes prodigiosae Christi, ejus transfiguratio, incessus super aquis, satiatio quinque et quatuor millium, prodigia mortis etc. Nisi enim haec, quae publice gesta dicuntur, revera publice evenissent: fidem

scripta evangelistarum nunquam invenissent; imo ipsa evangelia, cum tanta, quam nunc obvius quisque lector sentit, verisimilitudine nec a versutissimis ingeniis potuissent compilari. Jam vero ad facta publica cognoscenda sano solum judicio, sanisque sensibus opus fuit, quos nostris defuisse nemo adhuc probare seu voluit, seu potuit. Praeterea homines simplices, ruri et sub libero dio vitam traducentes, phaenomena naturae magis discernunt, sensusque magis exercitatos habere solent, et phantasiam minus exaltatam, quam diversis studiis occupati, suorumque judiciorum tenaces philosophi. — Denique ne putentur scriptores nostri vel ob credulitatem vel fanaticum spiritum, aut aliorum deceptionem minus idonei fuisse ad rite cognoscenda objecta, quae tractant: sufficit dubitantes reflectere ad eorum proponendi modum, qui nihil artificiosi praesefert, sed planus ubique et sobrius, absque ornamentis, quae falsum pallio velarent, securus et de adversariis nihil sollicitus; prout scribere solent, qui, sibi veritatis plene conscii, pudefieri non metuunt. Ipsa vitae conditio eorum prohibet, quominus tam exorbitans ingenium eis tribui possit, ut crediderint se vidisse, quod nunquam viderunt; audivisse, quod non audiverunt, prout fanatici facere solent. Tandem, si vitio credulitatis laborasse, vel ab aliis decepti fuisse ponantur: inexplicabile fit, quomodo quatuor diversi scriptores, post 20 vel 30 annos a rebus gestis nondum in conscientiam sui erroris venerint, et ab impostoribus ita decepti sint, ut aequalia omnibus persvaderentur, et omnes eandem rerum tam didacticarum quam historicarum substantiam referrent. Insuper Matthaeo et Joanni, velut immediatis testibus aliorum relatione opus non fuit, ut igitur nec credulitatis argui, nec decepti fuisse dici possint. Marcus autem et Lucas sub oculis immediatorum testium scribunt et prioribus duobus nequaquam contraria narrant. Quis ergo locus erit vel credulitatis, vel deceptionis?

3) Scientia scriptorum n. t. comprobatur consensu eorum, quae tractant, cum relationibus fidedignorum scriptorum de iisdem personis et rebus. Ignorantes enim non poterant per omnia consentire cum aliis auctoribus, qui suarum relationum argumenta habebant comperta. Atqui adjuncta rerum politica, geographica, historica, characteres personarum, descriptiones rituum et consvetudinum, prout ex aliis scriptoribus innotuerunt, bene omnino concordant cum relationibus biblicis.

Sic Judaea nato Christo dicitur paruisse Herodi regi, post hujus fata Archelao ethnarchae, quocum duo tetrarchae Herodes et Philippus regnum partiebantur, postea in formam provinciae Romanae redacta et a procuratoribus gubernata. Vectigalia solvuntur Romanis. In arce Antonia urbis Jerosolymorum praesidium romanum excubat. Pontifices pro arbitrio mutantur. Haec et similia plene consonant cum relationibus Josephi.

Sectarum religiosarum mores et placita ita delineantur a sacris scriptoribus, prout eas noscimus e Philone judaeo et Josepho. Pharisaei reliquis potentiores populo dominantur, rituum externorum justo tenaciores in cerimoniis et specie religionis omnem sanctitatem reponunt. Sadducaei negant esse spiritus et carnis resurrectionem; inveterata populi praejudicia fideliter adumbrantur, de odio aliarum gentium, de censu incircumcisis non solvendo, de subigendis aliis gentibus etc.

Character Herodis M. Herodis Agrippae, Felicis, Joannis B. nihil differt a notis, quas de his viris exteri scriptores, praecipue Josephus Flavius, exhibuerunt. Memoratur census cuius causa Maria cum Josepho Bethlehemum profecta est; fames publica sub Claudio, saeva indoles Archelai, judaeorum ab urbe Roma expulsio iussu Claudii, etc. quae omnia ex aliis scriptoribus certa sunt.

Determinationes locorum, et urbium, distantiae, nomina fluviorum et montium eadem hic reperiuntur, quae apud alios.

Ritus templi et sacrificiorum, varia jejunia, crebrae lotiones, mutua odia cum Samaritanis, falsa juramenta, proclivitas ad rebelliones, uti hic leguntur, confirmantur a Flavio et exteris.

Itaque concludi jam potest, scientiae defectum in viris tam vere scribentibus argui non posse.

§. 21.

Scriptores n. t. fide digni sunt spectata veracitate.

Ad auctoritatem testis agnoscendam requiritur, ut vera non tantum sciat, sed et dicere velit. Nihil enim lectorem juvat scientia scriptoris, nisi sincere communicetur notitia. Unde in sacris auctoribus, ut plenam fidem mereantur, demonstranda est animi sinceritas, qua objectorum a se cognitorum genuinam tradiderint notitiam sine propriis transformationibus rei ipsius. Character iste ad scriptoris honestatem respicit; jam vero universalis est regula humanitatis, qua ipsa societas consistit, sc. quemlibet hominem tamdiu pro honesto esse habendum donec rationes contrarium probent. Haec aequitas certe nostris quoque scriptoribus tribui debet, ita ut si nulla assignari possit ratio, qua potius ad falsa quam vera scribenda fuissent inducti: justa habeatur praesumtio, eos veritati studuisse.

Atque hoc unum argumentum pro sinceritate scriptorum biblicorum sufficeret, etiamsi alia dessent; sicuti apud innumeros auctores profanos inprimis historicos ad fidem illis habendam sufficit, quin plura seu postulentur, seu habeantur. Et revera, nisi hoc sufficeret, maxima pars historiae interiret. Ceterum tamen sacri scriptores hic quoque tantopere super aliis eminent, ut eorum veritas e superabundantibus argumentis patefiat, ne incredulitas ullam habeat excusationem.

Scilicet auctores canonicos veracitati studuisse, sequentia momenta persvadent:

1. Nihil occurrit in charactere eorum, quod eos e parte veracitatis redderet suspectos.

2. Gravissime potius impellebantur ad vera scribenda.

3. Multa, manifestaque dederunt bonae fidei argumenta.

1) Scriptores n. f. nullo ducebantur impulsu veracitati adverso. Incitamenta, quae homines a veri studio deflectere solent, sunt spes et metus. Qui enim vel commoda aliqua sperat, vel adversa metuit: amore suiipsius facile tentatur ad talia, etsi falsa, dicenda vel scribenda, quae sive lucrum adferunt, sive incommoda depellunt. Hinc merito inquirimus, an scriptores biblici talia scribendo, qualia suis operibus complexi sunt, emolumenta quaedam temporalia sperare potuerint, vel saltem securitatem contra pericula. Si nihil horum: patebit eos a tramite veritatis abductos non fuisse. Atqui nostri scriptores nullam sibi spem formare poterant sive honorum, magnique nominis consequendi, sive opum. Perspicuum hoc fit ex indole doctrinae et historiae, quam tradiderunt. Fuit enim haec adamatis populorum moribus, inclinationibus et judiciis penitus opposita, et quia priorem illorum religionem destruebat, summe invisa; certa parte viris principibus, totique genti inhonorifica; qui scilicet talia patrasse scribuntur, quae nomini et honori ipsorum non poterant non maculam inurere. Quis ex tali labore praemium honoris, vel gloriae speret ab illis, quorum animos a se longe avertit? Vel forsitan a suis asseclis et discipulis sperabant honores et opes? Honorem quidem ab his receperunt, at non illum, qui ad falsa scribenda solet homines impellere, non splendorem et dignitatem hujus vitae: sed cultum cordium, qui eis nunquam obtigisset, nisi veritatis fuissent studiosissimi. Sic etiam opes receperunt a fidelibus, antequam saltem scripsissent; nam cum omnium christianorum esset cor unum et anima

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA Seite 73 von 294

una, bonorum suorum pretia contulerunt ad pedes apostolorum. At his nullus evangelistarum ditatus est, verum dabatur singulis, prout cuique opus erat, illudve effectum, ut nullus egeret, sed omnes essent, tanquam nihil habentes, et omnia possidentes. Hae utique divitiae sunt fidei, non merces astutiae. Metus denique adversorum illos adeo non impulit ad haec scribenda, ut potius ductu naturalis rationis praevidere debuerint, se his ipsis doctrinis et testimoniis maxima sibi pericula consciscere. Quod et experientia sua probarunt, cum viderent praecones religionis in suis libris traditae ad supplicia rapi. Jam enim, antequam opera eorum vulgata fuissent, diversae persecutiones exarserunt contra novam religionem. Stephanus lapidatus, Jacobus major capite plexus, Petrus in carcerem fuit conjectus. Facile igitur animadvertere poterant, quid vitandum in suis libris haberent; nec dubium erat, contraria potius, quam quae scripsissent, ad avertendas calamitates conducere. Si nihilominus haec, quae legimus ediderunt, fatendum: nec spe nec metu ad talia scribenda seductos fuisse, proinde vera scripsisse.

2) Scriptores n. f. gravissime urgebantur ad vera scribenda. Ut sacri auctores accuratissime satisfacerent veritati, urgebantur momentis tam internis quam externis. Priora petuntur a stimulis conscientiae, quos diu noctuque intra praecordia circumferebant. Inveniuntur quidem aliquando homines, at rarissimi, quorum conscientia callo iniquitatis penitus obducta, profundoque sopore mersa est, ita ut nefandam vitiorum semitam per annos absque perturbatione calcare videantur: at quis talibus malefactoribus auctores nostros comparaverit? Pravitatem cordis ac vitae nec hostes illis objicere potuerunt: scripta autem eorum, et mors pro sanctissima doctrina tolerata, innocentiae et sanctimoniae eorundem argumenta sunt invicta. Si autem non erant homines absque conscientia: quo tandem animo potuissent scripta sua mendaciis replere in materia religio-

nis, a cujus fide, ex propria ipsorum persvasione et assertione, salus vel damnatio aeterna pendebat? Aggravatur imputatio etiam eo, quod viri hi fuerint origine judaei, qui suam religionem mosaicam velut divinam colebant, et profitebantur. Si igitur hanc divinam in se et popularibus destruere, novamque confictam moliebantur inducere, vix vocabula praesto sunt, quibus grandis haec impietas, nataque hinc tormenta conscientiae notari possent. Quanta deinde contradictio inter doctrinam et vitam eorum! quae quidem inaudita haud est in experientia generis humani: at ubi evenit, facile se etiam prodit. Quid vero de nostris eam indicaret, nemo adhuc docuit. Aequales certe, eos ut viros sinceros, veritatis et virtutis athletas venerabantur, quod in supposita illa turpi hypocrisi neutiquam locum habere potuit.

Porro impellebantur ad vera tradenda momentis externis. Quominus enim falsa de Christi doctrina et rebus gestis scriberent: moraliter fuit impossibile *a*) ob plures scriptores et praecones evangelii, *b*) ob conflictum cum dominante religione et cogitandi sentiendique ratione, *c*) ob multitudinem eorum, qui res relatas propria noverunt experientia.

Scilicet facilius est figmenta scribere, dum quis unus et solus objecta quaedam tractat, et non habet metuendum, ne plures aequalis auctoritatis eodem fere tempore idem argumentum aliter enarrent. At auctores biblici plures eundem susceperunt laborem, multo plures autem vivae vocis testes de eadem historia agebant. Jam vero qui lectores decipere vult, profecto ita cautus erit, ut se periculo refutationis et prostitutionis non exponat. Si proinde evangelistae scripserunt, scientes plures collegas eodem tempore haec vel ore vel calamo narrare: ista conscientia moralem eis necessitatem imposuit ita scribendi, ne fictionis convincerentur. Porro nosse debebant evangelistae, in conflictu cum dominante religione, totaque vulgi cogitandi et sen-

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA Seite 75 von 294

tiendi ratione mendacia nullum prorsus successum habere posse. Quo magis ergo publica fieri optabant sua scripta: eo certius exspectare debebant fore, ut illi quorum religio et vita iisdem notatur, severissime inquirant in veritatem relationum, et si falsas deprehendant, auctores earum, velut inhonestos mendaciorum publicorum disseminatores proclament, et in quantum religioni moribusque publica auctoritate sancitis infesti essent, etiam rebellium suppliciis puniant. Quapropter si scripta sua lectoribus prodesse optabant: terminos veritatis religiosissime tenebantur observare. Denique quae major necessitas moralis ad vera scribenda impellens cogitari potest, quam si milleni testes vivant, qui scriptorum veritatem vel falsitatem propria sua experientia valeant comprobare? Si in priori casu adversariorum studia veritatem dicere cogebant: sane nihilo inferior erat vis moralis in christianorum assensu vel dissensu reposita, quae vera scribere imperabat. Christianorum enim plurimi de argumento horum scriptorum jam pridem erant vivae vocis praeconio informati, priusquam scripta ederentur; insuper praesentes fuerant institutionis et vitae Christi testes. Si jam tales homines in recentioribus libris quaepiam legissent, quorum nec ex praedicatione apostolica, nec ex propria experientia notitiam ullam, vel forte contrariam habuissent: poteratne sperari eorundem constantia, aut librorum receptio? Si igitur libros recipi et a fidelibus in profectum salutis converti volebant evangelistae: gravissime impellebantur, ut omnia figmenta vitarent.

3) Scriptores biblici n. f. manifesta et copiosa praebent suae veracitatis indicia. Si scriptores nostros nihil ad falsa scribenda incitabat: eorum candor immerito vocatur in dubium. Si deinde multa graviaque momenta interna et externa eos ad veritatem sequendam incitabant: bona fides eorum evasit necessaria, contrariumque fuit moraliter impossibile. Si demum verbis et operibus veri

studium expresserunt: veracitas eorum historice certa est, ita ut ultro procedere nemo voluerit. Hujusmodi autem verba et opera, scilicet veracitatis totidem argumenta, non cunctamur e propriis eorum scriptis in exemplum adferre, quanquam in *ἀξιοπιστία* probanda versemur. Illud enim nec adversarii negant, sanam rationem eis convenire. Atqui sana ratione praediti media scopo suo evidenter contraria nunquam eligunt. Hoc autem de sacris auctoribus statuat, oportet, quisquis eos ceu veritatis proditores et figmentorum fraudulentos fabros criminatur. Voluissent quippe in hac hypothesi Jesu Christo vel sibi per mendacia quomodocunque favere, siquidem noxae et detrimenti causa nemo mentitur; et nihilominus dum favere volunt, talia commendant posterorum memoriae, quae scopo illi minime conveniunt. Idcirco dicimus absque petitione principii allegari posse proprias ipsorum enunciationes ad demonstrandam veracitatem, si ex illis alterutrum concedi debeat, sc. vel usu sanae rationis fuisse destitutos, vel veraces. Quid vero scopo sibi favendi magis oppositum, quam dum sua propria referunt dedecora, uti ruditatem, prioris vitae ambitionem, tarditatem intellectus, inconstantiam [1]), ob quae vitia saepius a magistro fuerant reprehensi. Referunt principis apostolorum errores, Judae proditionem, suam timiditatem, incredulitatem, praejudicia [2]). Nec dicat aliquis, scriptores de se ipsis hujusmodi defectus non narrare. Partim enim Matthaeus et Joannes sua quoque referunt vulnera, dum se a communi reprehensione Magistri non eximunt: partim, quod de col-

---

1) Matth. 15, 16. 17. 16, 8—11 Marc. 9, 32. 33. Joann. 6, 68. Matth. 26, 56.

2) Matth. 16, 23. 26, 51. 69—75. Joann. 12, 4—6. 13, 2. 26—30. 20, 19. Matth. 17, 19. Luc. 24, 41. Joann. 20, 25.

legis apostolis exponitur, honorem ipsorum quoque tangit. Causam quippe habebant communem; nec ipsi gloriosi esse ullo pacto poterant, si socii plerique erant reprobi, quoniam ipsi in eadem navigarunt cymba, quae fuit Petri vel filiorum Zebedaei. Si proinde talia narrant, quae ex prudentia carnis potius reticenda fuissent, causa non alia erat, nisi quam ipsi coram judicibus fassi sunt: sc. „Non enim possumus, quae vidimus et audivimus, non loqui.“ Vis argumenti crescit ex eo, quod non solum de se et sociis, sed et de Jesu referant humilia, ignominiosa, characteri vel auctoritati ejus adversa [1]), quin ea vel diluant, vel si accusationes adversariorum sunt, refellant. Inducunt enim interdum inimicos Christi obloquentes, quin studiose vindicare conentur honorem Christi [2]). Qui vero ita scribit, ingenuam et veracem indolem in aprico collocat. Fingentium enim est studiose ita versari, nequid eos reddat suspectos; ergo declinare omnem umbram et maculam, ne forte sua fides labefactetur. Quemadmodum igitur fallaces palliandi studio se produnt: ita veraces optime cognoscuntur ex candida propriorum naevorum expositione, vel propriae causae quasi neglectu.

Obs. 1. Negari nequit: argumenta axiopistiae quamvis in nucleum redacta, tanta vi pollere, ut etiam ferrei intellectus tenebras penitus valeant dissipare. Et nihilominus non omnes, qui haec sciunt, praebent assensum, quin potius multi nituntur in contrarium. Scilicet fides non solius intellectus est opus, verum etiam bonae voluntatis, per Dei gratiam commotae. Ubi haec adest, ibi intellectus paucioribus quoque persvadetur argumentis, imo saepe unica scintilla lumen in eo accedit, quod omnes dubiorum nebulas fugat. Unde historia plena est exemplis, quae docent, ope diversi

---

1) Luc. 2, 7. Matth. 13, 55. Joann. 8, 48. 9, 16. 24. Matth. 26, 37. 27, 46.

2) Joann. 7, 41. 42. 48. Luc. 23, 2. Matth. 27, 40—43.

generis argumentorum pervenisse bonae voluntatis homines ad fidem. Saepe veritas aut experientia, quam milleni alii sine omni perceperunt effectu, produxit invincibiles fidei athletas. Dum s. Petrus cum sociis liberrime contestaretur Jesu resurrectionem et dignitatem Messianam: ter mille viri corde compuncti Christo nomen dabant: alii ridebant. Similiter s. Paulo in Areopago fidem, argumentis ad persvasionem bene comparatis, praedicante, alii quidem credebant; alii autem dicebant, audiemus te de hoc iterum: alii denique ridebant. Quot eruditi et potentes legerunt jam, pariter ac praefectus aerarii Candacis reginae, pericopam Isaiae c. 53. quin tamen aeque ac ille Philippo, locum de Jesu Messia declaranti crederent! Pari modo visis prodigiis, quae in morte Christi evenerant, plerique percutientes pectora sua revertebantur a loco supplicii (Luc. 23, 48.): ceteri vero irridendo dicebant: „Sine videamus, an veniat Elias liberans eum“ (Matth. 27, 49.). Sangvis martyrum in persecutionibus fuit quidem semen christianorum, si in bonam terram cecidisset: at malis videbatur esse justa poena violatarum legum civilium. Erant nempe, suntque omni tempore homines, quibus nulla satisfaciunt argumenta, ut in eos recte transferas verba Domini: „Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.“ Unicum superest veritatis christianae argumentum, quod nulla incredulitas adhuc negare potuit, scil. „Statutum est hominibus semel mori“ Voltaire quidem etiam mortem, tot revelatarum veritatum sigillum, ridere volebat, ridendoque optabat mori: sed quam longe aliter evenit!

Vidi ego navifragum, qui riserat, aequore mergi,
Et, nunquam, dixi, justior unda fuit!

Certe humano intellectui veritas factae revelationis facile persvadetur, dummodo docilem se praebeat gratiae divinae. En exemplum recentioris temporis. Celeberrimus episcopus J. M. Sailer in opere: „Erinnerungen an und für Geistes und Gemüthsverwandte“ narrat de seipso, qualibus dubiis in juventute fuerit agitatus circa religionem. Cetera inter istud pulsabat eius animum: Quid si apostoli, qui Christum nobis tanquam Filium Dei et Redemtorem mundi tradiderunt, ipsi decepti, alios quoque deluserint? Scrupulus iste tamdiu

cordi haeserat, donec prudentia cujusdam fidei praeconis (vulgo missionarii) a dubitante consulti, peculiari ratione, velut aliud agendo, eximeretur. Audita nempe juvenis expositione, vir sagax nihil ad quaesita respondit, sed quasi rem nec attentione dignam judicaret, cepit suas enarrare vicissitudines, quas in India vel in itinere subivisset. Dimissum deinde juvenem post tres dies reverti jussit, et humanissime exceptum interrogavit, num historiae nuper auditae fidem haberet? Qui cum affirmando respondisset, age vero, inquit, nonne suspicaris me tibi imposuisse? Nihil minus, reponebat ille, quo enim pacto in virum, qui pro veritate evangelii persvadenda patriam deseruit et vitam ponere paratus erat, falsi caderet suspicio? At forsitan, ajebat praeco, ipsemet fallor? Ad quae juvenis: Quis hoc praesumat, ait, qui enim talia narrat, quae ipse vidit, egit et tulit: illum quidem nemo prudens putaverit falli. Cum deinde praeco urgeret: Itaque tu mihi fidem habendam arbitraris, quia tam scientiam, quam honestatem mihi tribuis, qui scilicet objecta propriae experientiae tibi communicaverim, quin ansam darem veracitati meae diffidendi: quanto magis igitur apostolis credere jubet ratio, qui non minus propriam narrant experientiam, et pro veritate evangelii omnia immolare parati, insuper et a Spiritu s. per omne vitae tempus directi fuerant? — Juvenis, nihil, quod opponeret, habuit, imo argumenti claritate ita captus est, ut nunquam amplius dubitaret.

Obs. 2. Objectiones memoratu dignas, quae contra auctoritatem librorum canonicorum n. t. fieri solent, expedivimus, pluraque ad praesentes materias parallela, pertractavimus in opere: „Hitkételyek“ (Pest. 1849.) ubi etiam natura dubiorum circa fidem, item varia fidei impedimenta declarantur. De antilogiis biblicis consulendi sacrae scripturae commentatores. Ceterum nemo sibi persvadeat: iliadem illam obiectionum, quibus religio catholica impetitur, ex animi sententia semper, atque serio proferri. Minime gentium. Vix paucos invenias, quibus talia veritatis inveniendae vel declarandae studio usurpentur: plerosque vel prurigo aurae liberalis incitat, vel fama eruditionis, vel etiam pecuniae e bibliopolio redeuntis non dedignanda summula. Quare solvendis eiusmodi obie-

ctionibus, vel in ventum prolatis hypothesibus insudare nec opus, nec operae pretium. Sane utilius est, propriae fidei aedificationi vacare, quam in removendis obicibus persvaderi nolentium, stulto Sisyphi consumi labore.

Articulus V.

Libri canonici n. t. sunt divinitus inspirati.

§. 22.

Principia inspirationis.

Libris canonicis peculiaris tribuitur praerogativa, qua ad Deum auctorem referuntur, et pro divinis habentur. Haec praerogativa inspiratio divina dicitur, in cujus explicatione theologi dissentiunt ob diversum divini succursus modum et gradum, quem in inspiratione requiri vel sufficere defendunt; ne illos memoremus, qui omnem inspirationem negant, uti non pauci inter protestantes. In ecclesia catholica est quidem de dogmate: cunctos libros tam v. quam n. t. esse divinitus inspiratos; nihilominus circa limites inspirationis mansit opinandi libertas, unde „aliquando etiam doctissimi, atque optimi regulae catholicae defensores, salva fidei compage, non consonant, et alius alio de una re melius aliquid dicit et verius“ inquit s. Augustinus *). Principale autem discrimen versatur circa effectum auxilii divini, quem alii in sola scriptorum praeservatione ab omni errore reponunt, alii autem etiam in ulteriore operum ad fines divinos conformatione, supponentes insuper, excitationem divinam ad scribendum praecessisse. In priori sententia speciali Dei auxilio non plus tribuitur, nisi absentia omnis erroris; reliqua omnia scriptoris, consveto sub auxilio providentiae divinae scriben-

*) L. 1. c. Julian. c. 6.

tis, ingenium et industria producit. At in posteriori praeter impulsum ad scribendum, tam materia, quam forma operis plus minus a Deo derivatur. Haec nostra quoque sententia est, ad quam probandam, simul vero conformem inspirationis notionem deducendam sequentia praemittimus:

1. Quomodo Deus directionem suam supernaturalem adhibuerit, nonnisi testimonio divino patefieri potest, quod in scriptura sparsim, non quidem cum speciali operationis divinae determinatione, ita tamen continetur, ut perspicere haud sit difficile, utri e memoratis duabus faveat sententiis. Inprimis huc faciunt testimonia de prophetis v. t. quorum munus apostolico simillimum erat. Sicut nempe prophetae legatione divina fungebantur in docendis tam voce quam calamo populis, ita apostoli quoque; qui evangelium quidem jam praesens annunciabant, quod prophetae primo futurum cecinere: simul tamen in futura tempora saepe prospectum pandunt; plerumque autem quemadmodum prophetae, hortantur et castigant. Jam vero quae fuerit operatio divina in prophetis, saltem quoad ambitum efficaciae: docent haec et similia effata: „Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu s. inspirati locuti sunt sancti Dei homines“ 2. Petri 1, 21. ubi graecus textus habet: *ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι* h. e. Spiritu s. ducti vel acti. Qui ducitur, fertur, in loquendo: certe non sua loquitur, nec motu proprio, sed inspirantis cogitata sequitur. Confirmatur hoc duobus clarissimis exemplis, Moysis nempe et Jeremiae; qui ambo, cum mitterentur a Deo ad voluntatem ejus annunciandam, insufficientiam suam obtendebant. Et Moyses quidem dixit: Ex. 4, 10. „Non sum eloquens ab heri et nudius tertius .... Dixit Dominus ad eum: Quis fecit os hominis? .... Perge igitur et ego ero in ore tuo, doceboque te, quid loquaris.“ — Jeremias autem (1, 6—9): „Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Et dixit Dominus: Noli dicere, puer sum; quoniam ad omnia,

quae mittam te, ibis, et universa, quaecunque mandavero tibi; loqueris .... Ecce dedi verba mea in ore tuo" etc.

His omnino simillima sunt, quae in n. f. ad apostolos dicta legimus (Luc. 21, 15.): „Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri." Item (Matth. 10, 19. 20.) „Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini; non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis."

Frustra objicitur: promissiones istas pro casibus defensionis coram judiciis valere. Ipsa enim haec judicia continuo perdurant, quoties eorum libri examini subjiciuntur. Si nihilominus testimonia scripturae dubio sunt obnoxia, sensus eorum juxta regulas hermeneuticae jure optimo petitur e discipulis vel immediatis vel mediatis apostolorum, qui magistrorum mentem saepius et uberius poterant percipere, hoc est, e testimoniis patrum. Hi vero ita loquuntur, ut sacros libros opera et eloquia esse divina, Deo auctore exarata, intelligant. Sic s. Clemens Rom. in epist. ad Cor. dicit: Diligenter inspicite scripturas, Spiritus s. vera oracula. S. Justinus m. in Cohortatione ad gentes, ait, sacris auctoribus id tantum officii fuisse, ut seipsos puros divini Spiritus operationi praeberent. S. Irenaeus docet: Scripturas „perfectas esse, quippe a Verbo Dei, et Spiritu eius dictatas" (Adv. haer. l. 2.). Origenes ait: Spiritum s. esse, qui loquitur in scripturis (hom. 26. in Num.) Tertullianus in Apologetico: „Qui putas nihil nos de salute Caesarum curare, inspice Dei voces, literas nostras." S. Augustinus (l. 18. de civ. Dei) dicit: „Unde non immerito, cum illa scriberent, eis Deum, vel per eos locutum tot tantique populi crediderunt." Idem saepius una cum s. Gregorio M. scripturas vocat epistolam omnipotentis Dei ad creaturam suam. Cassiodorus ait: „Has siquidem literas non ratio humana reperit, sed hominibus

sanctis virtus coelestis infudit.“ Multa alia hujus tenoris praetermittimus. Vel ex his patet, quantopere perverti deberent cuncta patrum effata, siquis omnem aliam Dei operationem negare vellet, praeter assistentiam ad praecavendos errores, et magis adhuc, si quis libros canonicos diceret esse opera hominum sibi prorsus relictorum, quae postea divinam retulerint approbationem.

2. Si Deus, quocunque licet modo, scriptoribus canonicis adfuit: hoc certe fecit ob fines, ad quos ecclesiam libris divinis uti voluit. Inspiratio quippe non finem, sed medium constituit ad obtinendos fines. Et ex his aestimanda est etiam forma succursus divini; nam Deus certe scopo suo adaequatum adhibuit medium. Duplex igitur exoritur quaestio, sc. *a*) Quinam sint fines, quorum gratia scriptura data est? *b*) An sola inerrantia sufficiat ad illos producendos?

Prima quaestio optime resolvitur e testimonio s. Pauli, item illo usu scripturae, quem ecclesia Romano-catholica facit. Fieri namque non potest, ut ecclesia libris divinis ad fines a voluntate Dei alienos abutatur. Jam vero ecclesia scripturam adhibet 1-o ut fontem historiae et revelatae religionis ad demonstranda dogmata, salvo tamen suo jure eandem authentice interpretandi. 2-o illa utitur eminenter ad morum aedificationem, sensumque coelestem fovendum. Uterque scopus etiam a s. Paulo asseritur, dicente: „Quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus.“ (Rom. 15, 4.) Item: „Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, . . ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.“ (II. Tim. 3.) Quae ambo effata, si de veteri testamento valent, certe novo magis etiam conveniunt.

Dicimus autem: ad fines hos obtinendos non erat satis errores vitasse, sed necessarium fuit, ut Deus in selectum quoque materiarum, voluntatemque scriptoris ageret. Hoc

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA Seite 84 von 294

jam a priori licet concludere. Si enim Deus quibusdam libris certos fines praefixit: profecto erga istos non se habuit ita passive, ut eorum exsecutionem penitus arbitrio scriptoris relinqueret, praesertim cum scriptores ignoraverint: documenta sua perennatura esse, amploque illi usui servitura, ad quem Deus ipsa destinavit. Quod dein ad demonstrationem dogmatum propius attinet: si complurium textuum praegnans foecunditas absque praeiudicio attendatur, et cum scriptorum naturali ingenio conferatur: sat clarum evadit divinae directionis argumentum. Singulare vero momentum habet consideratio illa, quod absque tali directione libri v. f. scopo suo principali vix ac ne vix quidem satisfecissent, qui in eo positus fuit, ut oracula tam literalia, quam symbolica ad Christum, remque christianam pertinentia comprehenderent. Nempe auctores in selectu scribendae materiae sibi relicti, salva omnium reliquorum veritate, ipsam hanc gravissimam materiam potuissent omittere, praesertim cum symbolorum significatio ipsis haud fuerit nota. Cum igitur vaticinia et symbola divino consilio data fuerint, ut Christus verus Messias agnosceretur, ex eorumque implemento divinitas religionis christianae comprobaretur: patet divina quoque voluntate, et suggestione vaticinia illa et symbola conscribi, conscriptaque debuisse conservari; sicque Deum erga eorum exarationem vel non exarationem mere passive se habere nou potuisse. Pari modo quam multa pendent in novo foedere e. g. a locis, quae ecclesiae fundationem et promissiones Christi eidem factas complectuntur! Illa iam commata fortuitae scriptorum cogitationi deberi quis credat? Non quidem sine illis religio Christi necessario defecisset, attamen, si grandis ecclesiae utilitas divinam providentiam movit, ut juxta verba concilii Trid. coelestem scripturarum thesaurum summa liberalitate nobis tribueret: profecto Dei sapientia et benignitate dignissimum fuit, ut partes maxime momentosae sub divina excitatione et suggestione consignarentur, nam

sine hac facile ecclesia textibus gravissimis caritura erat. Sic e. g. celeberrimum Petri encomium, tot tantisque, ut scimus, consectariis gravidum, a Matthaeo aeque omitti potuisset, ut omissum est ab omnibus reliquis evangelistis.

Objiciet fortasse aliquis multas divini codicis obscuritates et antilogias, quae quia demonstrationem dogmatum difficilem reddunt, indicare videntur, immediatam directionem Deo non recte tribui. At reponimus: obscuritates illae, et antilogiae nihil, quod esset indignum Deo, continent, hinc salva directione divina ex usu naturalium facultatum, qui per illam sublatus non fuit, repeti possunt. Insuper egregie respondent illi consilio divino, ut nempe sacrae scripturae usus et interpretatio sub magisterio ecclesiae constituatur. Sunt ergo totidem deductiones ad alterum religionis fontem, sine quo scriptura inutilis, imo noxia evaderet. Quare voluntati divinae non repugnabat, ut loca obscura, et ad speciem pugnantia scriberentur, nonnulla vero fidei objecta omitterentur, ne secus aliter scriptura consideraretur, ac est.

Quod jam alterum scripturae finem, sc. aedificationem morum respicit, tuto asserimus: nullum in orbe terrarum adhuc ab homine confectum fuisse opus, quod in capite aedificationis cum s. scriptura posset comparari. Est quidem ista vis ipsius religionis: sed est scriptnrae quoque; nam unde secus repetendum, quod eadem religio aliis in libris pertractata, non sic intima cordis penetralia corripiat, ac in libris divinis? Spiritus Dei est ille, qui lectorem scripturae rite dispositum coelesti sensu plenius imbuit, quam ulla humana facundia. An unquam auditum est, alios quoscunque piscatores, rudesque homines tali cum unctione, simplicique majestate de rebus etiam sanctissimis scripsisse? Gravissimos bibliorum adversarios, evigilans interdum conscientia, ad laudandam scripturae internam virtutem abripuit: „Majestas scripturarum, inquit Rousseau, me in admirationem rapit. Sanctitas evangelii loquitur ad cor

meum. Videte libros philosophorum cum omni ipsorum splendido adparatu, quam hi minutuli sunt relate ad biblia!“ etc. — Sed quid opus plura dicere? Si quis voluerit digne legere scripturam, cognoscet ex propria experientia, utrum a Deo sit, an auctor e seipso loquatur. Quaerimus igitur, an sola absentia erroris effecerit opus tam divinum? An non potius inspiratio dicendorum impertita fuerit scripturae illam vim, ut verba ejus spiritus et vita sint? Dantur certe libri, qui tametsi careant dogmaticis et moralibus erroribus, nihilominus quoad vim formandi animos cum bibliis nec a longe possunt comparari.

Jam itaque concludere licet, solam inerrantiam non esse sufficientem causam ad obtinendos fines libris canonicis divinitus destinatos, verum etiam dirigentem suggestionem fuisse necessariam. Pergimus assertum pluribus firmare.

3) Assistentia ad praecavendos errores librum nonnisi veracem, seu veridicum efficit; jam autem, quamvis inerrantia librorum divinorum latius pateat, quam aliorum, quibus ecclesia catholica dogmaticam tribuit auctoritatem: tamen vel in symbolicis libris communis christianorum sensus inerrantiam distingvit ab inspiratione, ita, ut licet certissimum habeamus testimonium de plena cujusdam libri veritate: non tamen mox inspiratum agnoscamus. E. g. concilium Chalcedonense gravissimum perhibuit veritatis testimonium epistolae s. Leonis M. ad Flavianum, exclamando: haec patrum, haec apostolorum fides, ita omnes credimus, Petrus per os Leonis locutus est! nemo tamen dictam epistolam in canonem refert. Sic etiam symbolum Athanasianum, Catechismum Romanum, ipsaque conciliorum generalium decreta dogmatica certissime credimus esse vera, imo haec postrema sub assistentia quoque divina composita, non tamen sunt scriptura sacra. E communi itaque sensu inspirationem solis libris canonicis ita propriam tribuimus, ut nullos alios ipsis hac in dote aequiparemus. „In

quibus, ut loquitur s. Augustinus, non frustra sacrarum literarum figitur et terminatur canon.“ [1]) S. Isidorus autem adhuc pressius dicit: „Aliud cum istis nihil est comparandum; quidquid extra hos fuerit, inter haec sancta et divina nullatenus est recipiendum.“ [2]) Si jam ad canonem e dictis addere nil licet: discrimen, quod inter canonicos et non canonicos libros obtinet, principale sit oportet, nec in sola veracitate situm; nam ut vidimus, libri dogmaticae auctoritatis non minus ab errore sunt immunes, uti canonici. Principale autem illud discrimen non efficit e. g. antiquitas bibliorum; nec dignitas aliqua auctorum ab inspiratione diversa, nam auctores plurium v. f. librorum ignorantur. Porro ecclesia Romano-catholica alios libros, praeter receptos, canone excludens, non qua erroneos, sed simpliciter qua non inspiratos exclusit. Ipsum ergo ecclesiae factum aliam supponit inspirationis notionem, quam assistentiam ad mere praecavendos errores. Qui dicunt, fieri posse, ut plures libri in posterum canoni adscribantur, non advertunt: in tali casu novum revelationis fontem accessurum ecclesiae, quo hactenus caruisset, unde sequeretur: ab apostolis non omnia tradita esse ecclesiae, quae ad religionem necessaria sunt. Nos huic opinioni ante citata verba s. Augustini oponimus: In his (nempe libris, quos nunc habemus in canone) sacrarum literarum figitur et terminatur canon.

4. Si assistentiae divinae effectus ille tantum fuit, ut scriptores ab errore praeservarentur: illa in quibusdam scripturae partibus haud necessaria fuisse censenda est, seu nulla, cum Deus nil agat supervacanei. Sic igitur partes quaepiam scripturae inspiratione privarentur, signanter illae, ubi hagiographi monumenta aliorum descripserunt, vel ubi objecta certissimae suae cognitionis consignarunt, in quibus errorem vitare etiam consvetae diligentiae huma-

1) L. 18. de civ. Dei.

2) Prooem. in ll. v. et n. t. Cf. Etymologiar. l. 6.

nae fuit facile; talia sunt complura in pentateucho, libris regum, psalmis etc. talis est epistola s. Pauli ad Philemonem, ep. 2. et 3. Joannis et alia. Ab homine enim nonnulla scribi posse sine errore, quis dubitet? Sane si ob physicam errandi possibilitatem scepticismus adeo exaggeretur, ut talibus quoque relationibus scriptorum, alias veritatis studiosorum, acquiescere non liceat: cessat omnis historiae certitudo; — sine hac autem rationalis nostra natura inextricabili contradictione laborat, et cognoscendae etiam revelationi fit impar. Aut igitur neganda est nonnullorum librorum vel capitum inspiratio, aut admittendum: hanc plus involvere, quam meram ab erroribus praeservationem. Alioquin, omnis religiosus liber, quem sensus vel usus ecclesiae ut erroris expertem probat, in canonem esset recipiendus.

§. 23.

Notio et explicatio inspirationis.

E praemissis jam facile deducimus notionem inspirationis, quam sic damus: est specialis Dei actio, qua auctoris ad scribendum divinitus excitati intellectus et voluntas ita dirigitur, ut scopo divino convenientia scribat.

Haec notio importat 1-o impulsum ad scribendum. Qui enim vult finem, debet velle media quoque. Si ergo Deus habuit fines, per scripturam effectui dandos: media quoque ipse selegit, seu auctores ipse designavit. Haec designatio et scribendi jussio de pluribus canonicis scriptoribus diserte quoque memoratur *) et pro consilio divino per historiam et vaticinia v. f. religionem Christi commendandi necessaria quoque fuit; nisi quis dicere malit: Deum

*) Exod. 17, 14, 34, 1. 27. Num. 32, 2. Is. 8, 1. Jerem. 30, 2. 36, 2. cf. Baruch. 2, 28. Ezech. 24, 2. 43, 11. Dan. 8, 26. Habac. 2, 2. Apocal. 1, 11. 19. 14, 13. 19, 9. 21, 5. etc.

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA Seite 89 von 294

aliquid in specie intendisse, et tamen suae intentionis effectum incerto hominum arbitrio reliquisse. Unde s. Epiphanius diserte tradit: Spiritum s. hos auctores ad scribendum movisse. (Haer. 51.) Qui illam excitationem ad scribendum ad plures scriptores, pluraque objecta extendi nolunt, nisi de quibus expressa est: assignent causas, quae illarum partium descriptionem potentius urserint, quam aliorum objectorum, quae humano judicio graviora sunt, uti evangelia vel actus apostolorum. Et saltem nutus illi divini ad scribendum moventes monstrant, Deum selectum scribendarum materiarum immediate direxisse, quod egregie probat etiam locus Apocal. 10, 4. ubi Joannes vetatur id scribere, quod scribere voluit. — Si nobis opponantur scopi particulares, qui sacros auctores ad scribendum moverint: reponimus, hos in mentibus eorum divinitus excitatos fuisse, et cum scopo Dei, quem scripturae destinavit, bene componi posse. Cum nempe scopum generalem scripturae Deus cuilibet auctori communicare noluerit, nam ei rite intelligendo nec pares fuissent, necesse fuit: ut alius honestus scopus auctori ad scribendum movendo offerretur, quem ille secutus, generali simul scopo Dei, utut sibi incognito serviebat. Analoga hujusmodi divinae providentiae exempla in ss. libris obvia sunt. Sic filia Pharaonis descendit ad Nilum scopo se lavandi: (Exod. 2.) at Deus illam descendere voluit scopo: Moysem infantem in aquis expositum servandi educandique. Saul ad consilium sui servi vadit ad prophetam quaesiturus ex eo locum asinarum; (1. Sam. 9.) interim jam pridie monitus erat Samuel a Deo dicente: „Hac ipsa hora, quae nunc est, cras mittam virum ad te de terra Benjamin, et unges eum ducem super populum meum Israel.“ Iter ergo, quod servus fortuito videtur suggessisse Saulo, fuit vera missio divina ad obtinendum scopum prorsus alium. Deus de vidua Sarephtana, nil simile cogitante, dicit Eliae: „Vade in Sarephta Sidoniorum, et manebis ibi: praecepi enim ibi mulieri viduae, ut pascat

te“ (3. Reg. 17, 9.). Beata virgo cum suo sponso proficiscitur Bethlehemum ex privato tantum consilio, ut ibidem ambo recenserentur: quis tamen neget itineri ipsorum alium divinitus praefixum fuisse scopum? Ergo pari ratione, dum Lucas in solius Theophili gratiam videtur evangelium et Actus apostolorum scribere, hoc incitamentum divinitus ei suggestum esse credendum est, ad alios quoque Dei fines exequendos. Ita quoque preces ecclesiae Ephesinae erant pro Joanne nutus divinus ad scribendum compellens; et sic de aliis.

2-o. Importat inspirationis notio scriptoris directionem ad cogitanda et describenda talia, quae Deus scribi vult. Loquitur enim in scripturis divinis Spiritus s. teste Cypriano. (De opere et eleemos.) Sic solum evadit scriptura verbum Dei, congruitque finibus, quos Deus ipsi praefixit. Nec tamen propterea revelationem cum inspiratione confundimus. Revelatio stricte sumta est ignotae prius veritatis manifestatio, augetque cognitionem intellectus. Inspiratio latius patet. Potest quidem interdum cum revelatione convenire, si nempe reipsa tale quid inspiratur, quod auctor antea nescivit v. g. in prophetiis: ceterum inspiratio bene vocatur etiam talis directio, qua fit, ut auctor ex objectis jam cognitis haec potius describat, quam alia, hoc potius quam alio modo, conformiter sc. scopo divino. Quamvis igitur varia admittatur in diversis scripturae partibus actio divina, nulla tamen erit scripturae pars, quae nostro sensu sumta inspiratione careret; sicut non est ulla divini codicis portio, omni scopo destituta.

Corollarium 1. Finem inspirationis non attendunt, qui praeservationem ab erroribus, aut libri in origine mere humani subsecutam per legatum divinum approbationem, ad scripturae s. notionem ex eo sufficere contendunt, quod utrobique eadem libro concilietur auctoritas, quam habet e speciali directione divina. Valet hoc tantum de auctoritate inerrantiae, quam fatemur aequalem resultare tam e comi-

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA Seite 91 von 294

tante directione, quam e sola approbatione legati divini. At vero sufficienter probavimus: adaequatum divinae directionis finem alium fuisse, quam ut libro sola tantum auctoritas inerrantiae conciliaretur. Assistentiam divinam comitatur quidem inerrantia, sed integrum ejus effectum haud absolvit. Deinde testimonia, e quibus factum inspirationis discimus, ipsam originem libri ad Deum auctorem referunt, ut adeo liber sine assistentia scriptus, accedente etiam approbatione, pro inspirato haberi non possit. Et hoc asserimus cum debita reflexione ad illam aliorum objectionem, qua dicunt, inspirationem librorum v. f., item Marci et Lucae tantum per talem approbationem posse defendi. Concedimus quidem: in probanda dictorum scriptorum inspiratione testimonium Christi et apostolorum evincens esse. Sed quid illi testantur? Non sane solam in praefatis operibus errorum absentiam, verum Spiritus s. ductum *θεοπνευστίαν*, cujus verus conceptus optime patet e sensu ecclesiae et effatis ss. patrum. Praetensa ergo approbatio proprie fuit declaratio divinae librorum originis, seu quod Spiritu s. inspirati locuti sint sancti Dei homines. Si nonnunquam patres aliqui inspirationem ad solam inerrantiam reducere videntur, causa est, quod hunc inspirationis effectum in specie extulerunt, velut ad probanda contra adversarios dogmata immediate comparatum, quin propterea scripturam esse verbum Dei negarent. Exemplo est s. Augustinus, qui in libro de doctrina christiana c. 12. ab arbitrio scriptorum videtur omne ipsorum opus repetere, dum dicit: „Ut quisque meminerat, et ut cuique cordi erat, brevius vel prolixius, eandem tamen explicare sententiam, ita eos explicasse manifestum est.“ Sed quod ipsum illud memi-nisse et cordi habere Augustinus a directione divina repetierit, adparet ex aliis ipsius compluribus effatis, quibus jam asserit: „Eis (sc. scriptoribus ss.) Deum vel per eos locutum fuisse“ (l. de civ. Dei); jam dicit: „Membra id operata esse, quod dictante capite (Christo) cognove-

rant“ (l. de cons. evangelist.). — In epistolis autem ad s. Hieronymum, qui interpretationem veracitati s. Pauli adversam videbatur protulisse in ep. ad Gal. 2, 11. tam graviter extollit inerrantiam hagiographorum, quasi in hac sola omnem inspirationis vim reponeret. — Illud certum est, patres omnes scripturam vocare divinam, et ad Deum auctorem referre, prout concilium Tridentinum quoque declaravit. Utcunque igitur s. Leo, s. Gregorius M. et Pius IV. decreta dogmatica conciliorum generalium aequiparare videantur libris canonicis: aequalitas ista tantum de auctoritate inerrantiae intelligenda est, quam et nos in rebus fidei et morum parem tribuimus conciliis generalibus cum hagiographis. Respectu autem divini characteris repetimus verba s. Isidori Hispalensis: „Aliud cum istis nihil est comparandum.“

Corollarium 2. Ex tractatis facile est perspicere, quid de tribus Lessii et Hamelii propositionibus, aliunde notis, sentiamus. Nostro judicio inspiratio usum virium naturalium non sustulit, proinde cognitio et constructio lingvae mansit cuivis individuo propria; in aliis autem cognitionibus, aliunde certis, spiritus divinus nonnisi selectum scopo divino conformem suggessisse, seu attentionem auctoris ad necessaria objecta, cum effetu, direxisse videtur. His conformiter primas duas propositiones non refugimus, eo tamen observato, Spiritui divino etiam in suggerenda elocutione illas tribuendas esse partes, a quibus characteristica scripturae vis, cum elocutione intime juncta repeti possit. At tertiam propositionem penitus rejicimus. Liber enim mere industria humana scriptus eo ipso in sua origine non est inspiratus. Si dein Spiritus s. testetur, nihil ibi falsi contineri: liber consequitur quidem auctoritatem inerrantiae, sed non characterem inspirationis, quae duo nobis diversa sunt.

§. 24.

Veritas inspirationis in libris canonicis n. t.

In probanda librorum n. t. inspiratione varia quidem proferri possunt argumenta, sed fatendum est, horum pleraque aut particularia esse, quae de nonnullis tantum libris valeant, aut in ulteriore analysi vim probandi ex traditione ecclesiae habere, quae sola tam certum quam generale praebet argumentum pro inspiratione librorum n. f. omnium. Protestantes rejiciendo traditionis ecclesiasticae vim dogmaticam, nullum habent pro inspiratione firmum argumentum. Sunt autem illa argumenta sequentia:

1-o. Apostoli divinam a Christo missionem acceperunt ad docendum cum promissione assistentiae Spiritus s. ut e Matth. 28. Marc. 16. Joann. 14. clarum est; atqui scripta suae doctrinae monumenta relinquendo aeque docebant tam aequales, quam omnes posteros: ergo assistentia quoque Spiritus s. non erant destituti. Sane si eorum scripta a doctrina vivae vocis discrepassent, omnis auctoritas institutionis eorum pessumivisset, sicque promissa Spiritus s. assistentia frustranea evasisset. Hoc argumento ex necessaria consequentia formato probatur inspiratio omnium illorum librorum, qui apostolos habent auctores, non excluso etiam Paulo. Nam licet in collegio reliquorum apostolorum, dum hi promissiones ante citatas accepissent, non fuerit: suam tamen immediatam a Christo missionem, et cum ceteris apostolis aequalitatem plus una vice testatur, cujus testimonii veritas paribus probatur argumentis, uti fides promissionum, in Joannis vel Matthaei evangelio contentarum. Ceterum hoc argumento nondum evincitur inspiratio Marci et Lucae, et, ut consideranti patet, pro fundamento habet traditionem ecclesiae de authentia, axiopistia et vero sensu illorum textuum biblicorum, quibus adstruitur.

2-o. Alterum argumentum peti potest ex interna scripturae praestantia, quae reipsa singularem habet vim in

animos hominum et luculentum divini Spiritus sigillum. At nota haec nec ubique nec omnibus est perspicua, ideoque demonstrationi minus apta. Internam scripturae efficaciam tantum mentes rite dispositae sentiunt. „Animalis homo, inquit s. Paulus, non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei; stultitia enim est illi, et non potest intelligere.“ (1. Cor. 2, 14.) Valet hic quoque s. Augustini observatio: „Da desiderantem . . . da sitientem, et fontem aeternae patriae suspirantem, et scit, quid dicam. Si autem frigido loquor, nescit, quid loquor.“

3–o. E divina scribendi jussione bene quidem probatur inspiratio; nam quem Deus jubet scribere, eum procul dubio dirigit quoque ad suos fines. Verum enim vero jussio scribendi in libris n. f. de sola Apocalypsi expresse occurrit; pro reliquis ex fine librorum ss. per consequentiam deducitur quidem, sed cum ille finis nonnisi e praxi ecclesiae secure innotescat, patet, hoc quoque argumentum sine auctoritate ecclesiae parum probare.

4–o. Itaque nullum praesto est aliud argumentum pro comprobanda omnium n. f. librorum inspiratione, nisi traditio ecclesiae. Patres quippe omnium saeculorum libros canonicos ut divinos tractant, et velut eloquia Spiritus s. laudant *); haec fides instillabatur omni tempore fidelibus, relataque est in decreta conciliorum; consequenter hic quoque valet regula s. Vincentii Lirinensis: „Magnopere curandum est, ut id teneamus, quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est.“ Eadem universalis traditio hanc praerogativam nec pluribus nec paucioribus tribuit, quam quos in canone hodierno habemus. Itaque inspiratio Marci et Lucae tam certa est e testimonio ecclesiae hac de re per apostolos edoctae: quam certa est reliquorum librorum inspiratio ex eodem ecclesiae testimonio. Sic jam s. Augustinus, loquens de Actibus apostolorum, libro Lucae,

*) Cf. §. 22. et tractatum de canone.

praeclare infert: „Cui libro necesse est me credere, si credo evangelio; quoniam utramque scripturam similiter mihi catholica commendat auctoritas.“ (l. contra ep. Fund.) Atque huic argumento etiam acatholicus adquiescere debet, qui rem facti per unanimia et sincera aequalium et suppa-rium testimonia plene confici non ignorat.

SECTIO II.

Historia textus.

Articulus I.

De textu originali.

§. 25.

Lingva n. t.

Ad statum librorum n. t. noscendum etiam lingva, in qua ab auctoribus editi sunt, cognita sit, oportet. Est autem lingva natalis eorundem, si evangelium Matthaei demas, idioma graecum; nec fidem sibi vindicare valuerunt, qui diversas ab hac sententia opiniones protulere. Cum autem evangelium Matthaei in sola supersit versione; nec exemplar hebraicum unquam in communem ecclesiae usum transierit, imo nec alter ejus usus, quem in rem nostram vertere pos-semus, factus fuisse ab antiquis legatur: jam in hoc quo-que libro versio graeca, quae omnes alias translationes praecessit, et certe ex aetate apostolica descendit, vicem authenticae lingvae obit, ut adeo commune sit idioma to-tius n. t.

Fuit autem haec lingva, illa aetate, scopo introdu-cendae et propagandae religionis christianae maxime op-

portuna, tum quod per Europam, Asiam et Africam magis, quam quaecunque alia vigeret; tum quod medio 70 interpretum religio revelata, jam a tribus saeculis hac lingva explicaretur. Enata est igitur lingvae graecae ad revelationem v. f. huicque superstructam n. t. doctrinam quaedam conformatio, religionis christianae incremento, in specie apud judaeos, certe proficua. Sed et aliarum gentium votis lingva graeca maxime respondit. Nam cum a saeculis principale vehiculum esset florentis culturae literariae, ita, ut libri graece scripti plurimum distraherentur: adparet providentiam divinam tali lingva gentibus universalem revelationem annunciasse, quae quum dignitati religionis conveniret, tum plurimorum, graece cultorum investigationi facile pateret. Non ergo libri n. f. erant lucerna sub modio posita, sed super candelabrum, ut lucerent omnibus, qui in domo sunt. Scilicet sapientissimus generis humani paedagogus illa lingva voluit homines ad veritatem allicere, qua tot doctae fabulae svaviter aures demulcebant, ut Homeri carmina veritati evangelii, Demosthenis eloquentia praedicationi Pauli, Platonis et Aristotelis philosophia sapientiae crucis facilius cederet locum.

Quanquam porro interpretationem graecam v. t. eruditi viri confecerunt: ipsa tamen objecti natura puritatem lingvae graecae non admisit, sed necesse erat ideas hebraicas, quibus lingva caruit, modo hebraico exprimere, ipsamque phrasim ad hebraicam conformare; fidelitas enim translationis interpreti maxime sectanda fuit. Hinc sensim invaluit elocutio graeca, a prisca graecorum puritate deflectens, et hebraizans, quae deinceps apud judaeos recepta, dialecti hellenistarum nomen obtinuit. Hanc Alexandrinae versionis dictionem tenebant etiam auctores n. f. utpote nati judaei. Unde nemo puritatem atticam in s. literis quaerat, cujus saeculo 17-o plures erant defensores. At neque existimandum, lingvam n. f. per omnia arbitrariam esse, nullis legibus lingvae graecae adstrictam, ple-

nam soloecismis, et barbarismis, verbo: ab aliorum scriptorum graecorum stylo penitus abludentem, prouti nonnullis visum fuit. Haec omnia Benedictus Winer in sua Grammatica idiomatis n. t. penitus refutavit. *)

---

*) Omni attentione digna sunt verba hujus acatholici viri, in praefatione (edit. 6. Lipsiae 1855) contenta, quae sic habent: Der Hauptirrthum (das πρῶτον ψεῦδος) jener biblischen Sprachgelehrsamkeit, und somit auch der N. T. Exegese lag zuletzt darin, dass man die hebräische, und die N. T. Sprache sich nicht als lebendige Idiome, zur Mittheilung unter Menschen bestimmt, dachte. Hätte man dies gethan, hätte man sich überall gefragt, ob die Abweichungen von den geltenden Sprachgesetzen, die man in der Bibel in so ungeheurem Maasse annahm, mit der Bestimmung einer menschlichen Sprache für die Praxis des Lebens vereinbar seien, man würde nicht so willkührlich Alles für erlaubt gehalten, und seine Freude daran gefunden haben, den Aposteln fast in jedem Verse eine Enallage, oder eine Vertauschung des Rechten gegen das Unrechte zuzuschreiben . . . . Denn überall wiesen die Interpreten nach, wie da ein falsches Tempus, dort ein falscher Casus, hier der Comparativ statt des Positivs. dort ὁ für τις, bald aber für denn, bald folglich für weil, bald jenseits für diesseits gesetzt sei, und bei solcher Gelehrsamkeit des Interpreten wird man fast unwillig über die Ungeschicktheit der heiligen Autoren, die so wenig mit der Sprache umzugehen wussten; man begreift gar nicht, wie solche Männer in ihren mündlichen Vorträgen, wo diese Gesetzlosigkeit der Sprache gewiss noch mehr hervorgetreten sein muss, sich nur überhaupt verständlich gemacht, vielweniger, wie sie eine grosse Anzahl gebildeter Menschen fürs Christenthum gewonnen haben. Aber neben der lächerlichen Seite hatte jenes Spiel . . . auch eine ernsthafte . . . Verträgt sich denn eine solche Ansicht von der N. T. Sprache mit der Würde heiliger Schriftsteller? etc.

Ceterum Deus lingvam religioni, non religionem lingvae voluit adcommodari, et jactationem eloquentiae a doctrina, quae humilitatem docet, removit, ne quis plus sapiat, quam oportet sapere, et ne sapientia verbi evacuetur crux Christi. Recte s. Hieronymus: Totum, quod legimus in divinis libris, nitet quidem et fulget etiam in cortice, sed dulcius in medulla est. Qui edere vult nucleum, frangat nucem. *)

§. 26.

Autographa et prima textus documenta.

Si ipsa sacrorum auctorum prima manuscripta usque hodie superesse dicerentur, et qua talia alicubi monstrarentur: complures oporteret enasci difficultates, atque studium biblicum ex iis vix aliquid caperet utilitatis. Inprimis nunquam cessarent lites et dubia de eorum authentia; cum enim omnia exempla, quae supersunt, non ex illis fuerint desumta: in conflictu aliorum codicum, praesertim numero et praestantia eminentium, cum praesumtis autographis, haec continuo impugnarentur velut incerta; nec tam evidentia argumenta pro eorum authentia possent proferri, quae certam facerent fidem. In hoc autem casu status criticae non mutaretur, nisi quod accederent variantes ex putatitiis autographis collectae. Nisi igitur divina auctoritate redderemur certi de apostolica ipsorum origine: finem dogmaticum eorum conservatio non obtineret. Nullus certe catholicorum theologorum plenam dogmaticae demonstrationis vim ex iis repeteret, sed argumentum semper ita construeret, ut licet autographa essent incerta, veritas theologica tamen maneret firma et secura. Ex quo patet, autographorum conservatione sicut ad fines religionis, ita ad eruditionem theologicam opus non fuisse, atque in causa salutis non li-

*) Ep. ad Paulin. t. 1. col. 323.

teram, sed spiritum requiri, quem Deus per vivum magisterium voluit dispensari, sine quo libri sacri, etiamsi in autographis superessent, emolumentum non praestarent. Ceteroquin autographa graeca solum graecae lingvae peritis adferrent utilitatem. Innumerae aliae gentes et lingvae ad versionem sunt restrictae, in qua variantes lectiones vitare est impossibile. Est hic idem casus, qui in literatura profana evenit; ubi pariter autographa priscorum periere, quin propterea opera eorum amitterent usum et auctoritatem. Porro satis mature partem autographorum biblicorum periisse constat inde, quod saeculo 3-o viri, qui libros canonicos critice tractarunt, nuspiam ad ea provocent; cum tamen momentum et occasio ea memorandi adfuerit saltem in susceptis recensionibus. Solus Tertullianus in libro de Praescriptionib. habet locum quemdam, qui licet ab aliis aliter accipiatur, probabiliter tamen vestigia autographorum continet. Dicit quippe: „Age jam, qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuae, percurre ecclesias apostolicas, apud quas ipsae cathedrae apostolorum suis locis praesidentur, apud quas ipsae authenticae literae eorum recitantur, sonantes vocem, et repraesentantes faciem uniuscuiusque. Proxima est tibi Achaia: habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum, si autem Italiae adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est.“ E collatione ipsarum cathedrarum, cum ipsis authenticis literis, et quidem non quarumcunque ecclesiarum, sed apostolicarum, verisimile fit, intelligi archetypa. Post haec non occurrit reflexio ad autographa, nisi in Chronico Alexandrino, quod Petro episcopo Alex. ad initium saeculi 4-i florenti adscribitur. Ille quippe ad adcurata biblia, ipsumque *ἰδιόχειρον τοῦ ἐναγγελιστοῦ Ἰωάννου* provocat, quod dicit usque nunc in sancta ecclesia Ephesina custodiri, et summa veeratione a fidelibus coli. Quam adeo determinatam rela-

tionem Hugius frustra oppugnat per silentium Origenis: hoc enim diserti testimonii vim non evertit. Traditioni vero ecclesiae Ephesinae nihil obstat praeter arbitrariam suspicionem. Ceterum haec postrema est autographi mentio nec nisi solius Joannei.

Causae maturi interitus absque dubio diversae erant; continuo scilicet usu et frequentissima descriptione pleraque ita atterebantur, ut nova diligenter descripta apographa commodiorem praestare viderentur usum, quam authentica; quae cum insuper non propria apostolorum manu fuerint omnia scripta, facile recentioribus exemplis postponebantur, praesertim postquam haec per inducta verborum intervalla, stichos, interpunctiones, ad legendum evaserunt multo commodiora. Mature etiam libri sacri in unum corpus colligebantur; cum igitur originalia exemplaria cum novis non componerentur: quisque collectionem plurium recenter descriptorum potius desiderabat habere, quam singula, unde haec sensim interciderunt. Fata dein eccclesiarum etiam fata autographorum post se traxerunt. Accesserunt versiones, quae in quibusdam ecclesiis, ut latina, syriaca, aegyptiaca jam primis saeculis pro populo magis erant necessariae, quam graeca exemplaria. Arbor scilicet e grano sinapis in Judaea nata jam saec. 3-o et 4-o suos ramos ad plurimas regiones et lingvas extendit, florebatque, quin ad ejus conservationem codicum subsidium censeretur necessarium, facileque libri scripti recesserunt, ubi libri vivi ingenti numero quotidie accesserunt. Quare non modo autographa, sed et apographa ex aurea ecclesiae christianae aetate desunt ita, ut e saeculo 4-o unicum, e 5-o duo sola habeamus, reliqua omnia sint recentiora. Mirum, religionis adversarios hinc non deducere illud consectarium: primum saeculo 5-o aevum historicum ecclesiae christianae initium capere, cum antea mythicum esset.

§. 27.

Apographa.

Usus lectionis publicae, item aviditas privatorum e sacris libris fidei et morum institutionem hauriendi necessaria fecit originalium bibliorum apographa. Et haec magno numero fuisse parata facile intelligitur e novitate et gravitate tam doctrinae, quam historiae in iis contentae, quae credentes ac non credentes ad legendum invitabat. Accessit literarum hoc tempore amplissima cultura; nam scientiae laete florebant, et in ipsa plebe communis fere fuit tam artis scribendi, quam lingvae graecae notitia, ita, ut homines de vulgo graecos libros valerent concinnare, prout ostendit exemplum apostolorum. Inde conjicias, fontes religionis christianae non barbaris et obtusae mentis hominibus, verum (a potiori dicendo) ingeniis, literarum sapore subactis, fuisse oblatos, quae verum a falso satis possent discernere.

Numerus apographorum crescebat pro ratione crescentis ecclesiae, donec lingva graeca ad arctiores limites constringeretur, et lingvis versionum locum passim cederet; tandem autem inventa saeculo 15-o ars typographica copias describentium alia ratione suppleret. Codices quidem non omnes continent totum novum foedus, nam alii alios exhibent libros: nec tamen inveniuntur spectata argumenti extensione tam multiplices, quot sunt libri n. t.; sed, si Apocalypsim demas, plures libri plerumque juncti deprehenduntur, quod iterum probat sensum ecclesiae de canonica omnium dignitate. Cum scilicet codices, qui epistolas catholicas exhibent, nullam harum omittant; item qui Paulinas, praeter duos tresve, reliqui omnes 14 numerent: qui denique evangelia: nec majorem nec minorem eorum numerum contineant, nisi 4: patet ipsos codices perpetuam ecclesiae sententiam de 27 librorum canonicorum auctoritate confirmare.

Etsi autem non aequali diligentia scripti sunt omnes: universim tamen labor iste laudi cedit Majorum nostrorum, probatque, longe plurimos non lucri causa, sed animo pio, religiosa cum ἀκριβείᾳ paratos fuisse. Nonnulli scribebantur ad mandatum caesarum et regum, quos proinde vel hac de causa insignes esse oportuit, uti reipsa exempla relicta docent. Alios viri illustres, ipsi patriarchae, episcopi, vel abbates propria manu exarabant. Idem fecerunt iurisdoctores, lectores ecclesiae etc. Maior tamen pars coenobitis debetur, qui regulari sub obedientia de ecclesia et sacris literis bene mereri, cibumque, qui non perit, operari contendebant. Multorum codicum forma plane admirationem excitat; tanto studio enim conscriptos et exornatos videmus, ut adpareat scribam non tam ab hominibus, quam a Deo laboris mercedem exspectasse. Porro sicut ad dogmaticam textus integritatem comprobandam codices egregie conferunt: ita in concilianda critica integritate, ceteris paribus, primum tenent locum. In hoc autem usu praestando, eorum auctoritas a duabus pendet dotibus, antiquitate videlicet, et bonitate. Quo enim codex antiquior et fidelior fuerit: eo majus pondus habet in ferendo de lectionis veritate testimonio. At utraque dos conveniat, est necesse; nam nec scientia, quam hic aetas repraesentat, sola conciliat auctoritatem: nec veracitas absque scientia meretur audiri.

§. 28.

Indicia aetatis codicum n. t.

Varia dantur indicia, e quibus aetatem codicum aestimare licet, si annus eorum natalis nusquam adnotetur. Imo aliquando ipsa anni adnotatio suspicione falsi laborat, et alia aetatis indicia reddit necessaria. Haec porro petuntur e notis vel scholiis margini adjectis, quae saepe saltem ostendunt, quo tempore codex altius non ascendat, nisi glossae vel notae a manu posteriori essent adjectae; item

deducuntur e materia libri, atramento, et variis ornamentis, e forma characterum, e ratione scribendi et dividendi voces vel argumentum et similibus, quae licet singula per se facile fallant, pro re nata tamen vel plura vel omnia, magnam important aetatis probabilitatem. Usum singulorum criteriorum juvat breviter enarrare. In specie quod attinet ad materiam librorum:

Archaeologi comprobarunt: saeculo 1-o aerae christianae ad conficiendos libros adhibitam fuisse chartam e frutice aegyptiaco paratam, in qua calamis ex arundine factis scribebatur. Simul autem ditiores pro libris, praesertim majoris momenti, in usu habebant membranam seu sic dictam pellem pergamenam, a Pergamo civitate Mysiae dictam, qui usus saeculo 4-o communis evasit; sic Eusebius testatur Constantinum M. 50 exemplaria ss. ll. in *διφθεραῖς* seu membranis „probe apparatis, ab artificibus antiquariis venuste scribendi peritissimis describi“ curasse. *) Saeculo 11-o invaluit charta bombycina, cui serius saec. 13-o et 14-o linea successit. Ex his materiis jam judicare licet de aetate codicum, eo observato, usum pergamenae post inductam quoque chartam perseverasse. A diligentia scriptoris, et voluntate possessoris pendebat libros magis vel minus exornare, vel exornari curare; cumque magna veneratione ferrentur christiani erga suos sacros libros: hanc forma quoque elegante codicum studebant exprimere; unde vel tituli, vel margines et initiales literae distinctis coloribus decorabantur, aut teste s. Chrysostomo auro obducebantur. S. Hieronymus quoque meminit librorum in membranis purpureis auro argentoque descriptorum, et usque hodie multi supersunt speciosissimae formae codices. Ceterum vetustae scripturae atramentum pallescit quidem: solus tamen pallor atramenti non est sufficiens vetustatis crite-

*) Vita Constantin. l. 4. c. 36.

rium; nam idem enasci potuit etiam ex mala atramenti praeparatione, codicis humido situ vel frequentiori usu.

Porro veteres non semper scripserunt propria manu, sed operam amanuensium adhibebant, qui quod dictabatur, non sine abbreviationibus in chartam conjiciebant, postea autem vel ipsi vel alii bibliographi, aut calligraphi scriptum accuratius concinnabant, literis potissimum usi uncialibus. Hoc modo partem ll. ss. n. t. editam esse ex epistolis Pauli aperte constat, cujus amanuensis Tertius dictus in ep. ad Romanos nomen suum inseruit. Ad calcem tamen salutationem vel simile quid propria manu adjicere solebat, ut scripta sua facilius ab aliis, forte suppositis distingverentur. Exemplum est in ep. 1. ad Cor. 16, 21. et ad Coloss. 4, 18. In utroque loco dicit: „Salutatio mea manu Pauli.“ In fine vero 2-ae ad Thess. ita subscribit: „Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola, ita scribo.“

De forma literarum notandum: quo antiquiores sunt codices, eo magis quadrata est literarum uncialium forma sine omni ad invicem connexione. Saeculo circiter 8-o ceperunt literae quadratae in oblongas mutari, ad finem saec. 9-i in rotundas et minutas transire, quae denique saec. 10-o communes evaserunt, ita tamen, ut pro bibliis etiam postea interdum unciales literae retinerentur. Codices porro antiquissimi, qui tempus tulerunt, scripti sunt absque intervallis verborum; hinc patres, versiones et codices nonnunquam peculiares vocum separationes faciunt; e. g. Philipp. 2, 4. loco ἕκαστοι σκοποῦντες, codex G. epist. Paul. legit ἑκάστοις κοποῦντες. At olim verborum intervalla non semper defuisse in monumentis profanis, post recentiorum indagationes plene certum est. Forte librarii, qui codices biblicos non tam scribebant, quam pingebant, morem illum induxerunt, qui deinde ex veneratione erga sacrum textum retentus est diu, donec in codicibus minori charactere scriptis communiter intervalla reciperentur.

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA Seite 105 von 294

Spiritus et accentus jam 3-o ante Christum saeculo Aristophanes Byzantinus grammaticus ad certam formam et normam redegisse scribitur; at in libris n. f. vix ante saeculum 5-um comparent; sc. Euthalius diaconus ecclesiae Alexandrinae eorum usum reddidit communiorem, qui Actus apostolorum et epistolas catholicas *κατὰ προσωδίαν* scripsit. Hodierna tamen forma accentuum et spirituum recentioris est aetatis.

Interpunctionis mentionem injecit s. Epiphanius in libro de mensuris et ponderibus, at solum in libris v. t. et in unico puncto consistentis, quod ille vocabat *ὑποδιαστολήν*; de novo testamento nil simile constat; imo saeculo 4-o et 5-o interpunctiones in hoc non adfuisse patet ex argumentatione patrum circa voces quomodo interpungendas. Sic Irenaeus, Epiphanius, Chrysostomus locum illum ev. Joann. 1, 3. vario modo interpungunt, alii nempe post *οὐδὲ ἕν* concludunt, et *ὅ γέγονεν* referunt ad sequentia, alii vero contrarium affirmant. Theodoretus 1. Cor. 15, 32 sic disjungit: *τί μοι ὄφελος, εἰ νεκροὶ οὐκ εγείρονται*; contra Chrysostomus membrum posterius jungit sequenti commati: *φάγωμεν κ. τ. λ.* Sic etiam 1. Cor. 3, 18. voces *ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ* Theodoretus jungit praecedentibus, Chrysostomus sequentibus. Incommoda ex hujusmodi defectu interpunctionis nata demum permoverunt librarios, ut non obstante reverentia erga ll. ss. et metu incurrendi suspicionem corruptionis, notas diacriticas, in profanis scriptis dudum usitatas, etiam in sacram scripturam inducerent, quae in principio unico puncto constabant, quo etiam minores partes distingvebantur, donec saec. 9. et 10. plena invalesceret interpunctio, varietasque signorum sensim cessaret. Recepta igitur interpunctio facto librariorum suam originem debet; nihilominus usu tot saeculorum firmata sine sufficiente ratione mutari non debet, cum supponere liceat praesules antiquae ecclesiae, sine examine rei novae, in eam non consensisse.

Idem Euthalius, quem supra accentuum et spirituum usum communiorem reddidisse diximus, induxit etiam circa a. 462. rationem scribendi *κατὰ στίχους*, consistentem in eo, ut in quavis linea tot ponerentur voces, quot ad sensum facile percipiendum uno halitu pronunciari possent. Hoc dicebatur *στιχηδὸν γράψαι*, munusque lectorum, praesertim in ecclesiis, insigniter relevavit, qui codices verborum intervallis carentes aegre poterant legere. Illud tamen incommodi habuit, quod sic codices redderentur nimis voluminosi, et hoc ipso pretiosi; quapropter saec. 9-o cepit alia scribendi ratio induci, qua stichi quidem retenti sunt, sed non singulis lineis scripti, verum posito in fine stichi puncto series continuata fuit. Hoc modo sensim transitus factus est ad regularem interpunctionem, quem transitum exhibet codex Cyprius K. saec. 9. Interdum in fine libri notatus fuit numerus stichorum, qui non ubique aequalis fuit. Denique a stichis vix differebant *ῥήματα*, nisi quod in diversis regionibus hoc nomine appellarentur.

Singuli libri n. t. habent in capite suam inscriptionem, et in fine saepe subscriptionem. Utrasque non ab ipsis librorum auctoribus descendere, dubio caret; magnum tamen est discrimen inter inscriptiones et subscriptiones quoad auctoritatem. Priores enim sunt antiquissimae, et quia in substantia seu in designandis auctoribus et primis lectoribus conveniunt: ostendunt traditam omnium ecclesiarum persvasionem de auctoribus eorundem, et sic argumentum authentiae praebent omni exceptione majus. Posteriores, in quantum plura continent, quam quod inscriptio habet, non temere accipiendae, sed cum judicio expendendae sunt. Aliquando enim apertae historiae vel argumento libri repugnant; nec inter se consentiunt.

Consvetudo libros canonicos tam historicos quam didacticos in ecclesiis praelegendi post se traxit eorum divisionem in certas partes, quae *ἀναγνώσματα* vel pericopae dicebantur; sicut olim judaei pentateuchum in pharaschas,

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA Seite 107 von 294

prophetas autem in haphtaras partiti sunt, praelectionis causa. Numerus pericoparum major vel minor fuit pro ratione dierum festorum in quavis ecclesia celebratorum, quibus progressu temporis etiam argumentum pericoparum adcommodabatur. Collectio pericoparum vocabatur *εὐαγγελιστάριον* vel lectionarium prout ex evangeliis vel aliis libris desumebantur.

Alia divisio bibliorum produxit *κεφάλαια* et *τίτλους*. Priorum vestigia Eusebius jam apud Dionys. Alexandr. invenit, qui perhibet: quosdam Apocalypsim de capite ad caput eo fine perlustrasse, ut eam sensu carere ostenderent. Etsi forte specialis divisio his verbis non innuitur, certe tamen sectiones quaedam principalia objecta continentes, hoc est *κεφάλαια* saltem majora intelligi debent. Verisimile utique censendum: ex ipso usu tam frequenti bibliorum aliquas argumenti divisiones enatas fuisse; ideo saeculo 5-o Euthalius *κεφάλαια* in epist. Paul. jam in usu invenit, et pro sua editione stichometrica recepit; indubie in evangeliis quoque aderant; ipseque nonnisi in Actibus et epist. catholicis eorum expositionem (summarium) confecit. Capita huius aevi cum pericopis non erant eadem; apud Euthalium enim una pericopa saepe 4—6 capita complectitur; numerus autem pericoparum pro ritu Alexandrino in evangeliis effecit 56, totidemque in reliquis libris. Ab his iterum diversa sunt capita majora et minora evangeliorum; illa vocantur *τίτλοι*, tituli, quae vox primitus vere titulum seu breve summarium capitis denotabat, postea autem ad ipsa capita per metonymiam contenti pro continente transferebatur. Latine vocabantur breves. Minora appellabantur Ammoniana vel Eusebiana, quia ab his maxime in usum posita sunt. Titloi quoad amplitudinem vel extensionem multum differebant a capitulis Ammonianis. Sic evangelium s. Matthaei passim habet titulos vel breves 68 (alias 88), capitula autem 355. Cassiodorus, qui saec. 5-o et initio 6-i floruit, *τίτλους* jam ve-

teres vocat, et a majoribus acceptos; an vero non quidem nomine sed re conveniant cum illis κεφαλαίοις, quorum expositionem in epistolis se confecisse ait Euthalius, incertum est. In fine saepe consignatio occurrit integri titulorum numeri, quae vocabatur b r e v i a r i u m.

Capita, in quae modo libri canonici distributi sunt, introducta fuere occasione concordantiarum, saeculo 13-o, ut loca facilius reperiri et adcuratius allegari possent, quare caput quodlibet insuper literis A. B. C. D. in minores subdivisiones secabatur, prout hodiedum videre est in missalibus et pluribus editionibus. An hanc divisionem in capita hodierna Stephanus Langton archiepiscopus Cantuariensis 1227-o vel Hugo a. s. Caro 1262 invexerit, exacte non constat. Forte ille incepit, iste vero perfecit, adjiciendo in specie minores illas per literas subdivisiones. Hae ipsae autem occasionem dederunt novae subdivisioni in versus, quam primus fecit Robertus Stephanus typographus Parisiensis primum quidem in editione latina a. 1548-i postea autem in graeco textu editionis Genevensis a. 1551. Divisio ista in capita et versus hodie jam universaliter est recepta; quia vero interdum sine habita ratione contextus facta est, interpretem non stringit. Insuper vulgata saepe aliam habet divisionem et numerum versuum, quam editiones graecae e. g. Matthaei c. 17-o versus 15-us vulgatae, in graecis editionibus est 16-us, caputque 27 versibus absolvitur, in vulgata autem 26. Marci caput 9-um in graecis incipit a versu ultimo capitis 8-i vulgatae, et ideo numerat 50 versus, pro 49 vulgatae. Similis differentia numeri est Joannis 1-o et 6-o capp. et 2-ae ad Thess. cap. 2. Pariter versus interdum extensione differunt.

§. 29.

Criteria fidelitatis in codicibus n. t.

Fidelitas codicis pendet ab exacta diligentia, quam scriptor in parando apographo adhibuit vel omisit, eam autem e mendis calami, vel mala fide susceptis mutationibus, quatenus hae ad certa praejudicia fovenda dirigi cernuntur, vel a probatis veterum patrum, versionumque lectionibus dissentiunt, licet detegere. Correctiones quoque a prima manu profectae collationem copiae cum fonte vel factam vel neglectam indicant, denique studium minutiarum, singularis diligentia in ornando, vel usus publicus, ad quem forte codex destinabatur, et cetera hujusmodi praebent testimonium de exacto labore librarii. Ad usum enim ecclesiae codices passim quum elegantius, tum accuratius parabantur. Si haec omnia bonitatem codicis commendent, et praeterea in indole textus cum antiquissimis versionibus et citatis conspiret: etsi recentiori aetate, teste forsitan subscriptione, sit confectus, jure tamen praefertur aliis antiquioribus minus fidelibus; quia in hoc casu compensat illum longe antiquiorem codicem, e quo apographum, testibus indiciis, manavit. Atque ideo codices recentiores nequaquam vilipendendi, et a ferendo testimonio excludendi, nisi aliunde constet, antiquis inferiores esse. Certum est, veteres quoque frequentibus laborare naevis, et cum insuper perpauci sint: soli in re tanti momenti non decidunt, prout universim codices, quamvis primas habeant partes, textum unice non determinant, sed accedere debet suffragium aliorum quoque textus documentorum, uti sunt allegationes patrum et versiones immediatae, ea cum cautela, ut et istarum lectiones non obviae quaecunque arripiantur, sed, si varient, ad fidem propriorum codicum probatissimae seligantur.

§. 30.

Praecipui codices, qui aetatem tulere.

Codices n. t. dividi solent respectu literarum in majores et minores, illi uncialibus, hi autem cursivis, ut vocant, literis sunt exarati; respectu lingvae in unilingves et bilingves; respectu aetatis in antiquos, medios et recentiores; antiqui dicuntur, qui usque saeculum 8-um, medii, qui a saeculo 8-o usque inventionem typographiae, recentiores vero, qui post inventam typographiam sunt confecti; possunt item hoc respectu dividi in eos, qui ante inventam stichometriam scripti sunt, deinde in stichometricos, et tandem in illos, qui obsoleta jam stichometria, interpunctiones habent. Critici de codicibus agentes, ut in tanta varietate facilius intelligerentur, ad eos notandos adoptarunt certa signa, quae inde a Wettstenio communi usu recepta, sunt literae alphabeti latini majores ad codices unciales, et numeri arabici ad cursivos denotandos. Porro canon in critica sacra dividitur in 5 classes librorum, ita ut primam efficiant evangelia, alteram Actus apost., tertiam epistolae catholicae, quartam epistolae s. Pauli, quintam Apocalypsis; at 2-a et 3-a classis sub uno alphabeto comprehenduntur, unde alphabetum est quadruplex, primum servit pro codicibus, qui evangelia continent, alterum pro codicibus, qui Actus apostolorum et epistolas catholicas habent; tertium pro epistolis s. Pauli, quartum denique pro Apocalypsi; adeoque, si criticus de codice e. g. D loquatur, adjicere debet determinationem, an de codice D evangeliorum, vel epistolarum Paulinarum sermonem faciat. Interdum unus idemque codex diversis literis notatur, prout diversas canonis partes continet, e. g. codex Angelico-Romanus in 2-o alphabeto signatur litera G, in tertio litera I. Codices, qui ad totum

novum foedus extenduntur, sunt tres, notanturque primis alphabeti literis, nempe A, B, C, et ubique agmen ducunt, excepto quoad Apocalypsim codice B, qui cum in hac parte sit mutilus, pro Apocalypsi literam B alter a priori diversus gerit.

Magnus est codicum biblicorum n. t., qui ad nostra tempora pervenerunt, numerus; longe plures tamen tempus edax rerum eripuit. Quis enim dubitet, quatuor primis ecclesiae saeculis grandem bibliorum copiam praesto fuisse, si ferventis zeli christianorum, si historiae traditorum, si codicum Origenis, Pamphili, Constantini imp., si querelarum s. Hieronymi de tot exemplaribus, quot codicibus, et s. Augustini de infinito numero translatorum graeci textus in latinum etc. meminerit. Ex illis tamen omnibus unicus nobis mansit codex vaticanus, prout e sequentibus 4 saeculis non plures quam circiter 20, quorum nullus continet totum n. t. plerique tantum partem majorem vel minorem, aliqui demum exigua fragmenta. Plurimi exhibent evangelia jam integra, jam partes; in specie unciales numerantur 30 [1]), his accedunt pericopae evangelicae usui ecclesiastico destinatae circiter 50, pariter literis uncialibus conscriptae, licet plerumque longe serioris aetatis, quando jam scriptura minuta fuit pervulgata. Aliae librorum sacrorum classes pauciores numerant codices [2]).

---

1) Nempe A, B, C, D, E, F, F a, G, H, I, K, L, M, N, O, P, Q, R, S, T, U, V, W, X, Y, Z, Γ, Δ, Θ, Λ.

2) Pro Actibus apostolorum habentur 8 unciales; pro epistolis catholicis 5; pro Paulinis 12; tandem pro Apocalypsi 3. Observato eo, nonnullos codices in pluribus alphabetis recurrere, numerus omnium codicum uncialium hactenus cognitorum efficit 41. Ex illis 8 sunt Parisiis, 7 Romae, 4 Mosquae, 3

Dignum est omnino, ut e pretiosissimo hoc bibliothecarum christianarum thesauro saltem praecipua monumenta penitius noscamus. In specie

Codex A.

Alexandrinus, a loco pristini domicilii ita dictus, nunc Londini servatur in museo britannico. Eum a. 1098. cubiculo patriarchali Alexandriae, ut in ipso codice refertur, donatum Cyrillus Lucaris, patriarcha primum Alexandrinus, dein Constantinopolitanus anno 1628-o Carolo 1-o Angliae regi dono misit. Constat quatuor voluminibus in folio, quorum tria efficiunt vetus, quartum vero novum foedus, textum continet solum graecum omnium quidem utriusque foederis librorum, sed cum notabilibus lacunis. In specie in novo foedere ex evangelio Matthaei deest initium usque ad 25, 6; ex evangelio Joannis a. 6, 50. usque 8, 52; ex epistola vero ad Corinthios 2-a a cap. 4. usque c. 12. Singula pagina divisa est in duas columnas, quaevis columna comprehendit 50 circiter lineas, literae sunt unciales et quadratae, verba sine intervallis, interpunctionibus, spiritibus scripta, materia est membrana, scriptura sat elegans. Libri hoc ordine se excipiunt: primo sunt evangelia eodem ordine, prout in nostro ca-

---

Londini, 2 Cantabrigiae, 2 in bibl. Guelpherbytana, denique singuli Windobonae, Venetiis, Mutinae, Neapoli, Petropoli, Monachii, Dresdae, Lipsiae, Basileae, Oxonii, Dublini, Hamburgi, Ultrajecti, ad s. Gallum, et in monte Sina. Memorabile: literis I, N, Γ in catalogo codicum uncialium tria diversa notari manuscripta, in membrana purpurea, literis aureis et argenteis confecta, quae olim evidenter unius ejusdemque codicis erant partes, forte lucri cupidine postea membratim distractae, ita, ut hodie 6 folia Romae, 4 Londini, et 2 Wiennae custodiantur.

none continentur, tum Actus apostolorum, dein epistolae catholicae, epistolae s. Pauli, denique Apocalypsis. In epistolis Paulinis codices A, B, C. epistolam ad Hebraeos non habent ultimo loco, sed post epistolam 2-am ad Thessalonicenses. Codex A habet etiam canones Eusebii Caesareensis et epistolas Clementis Romani ad calcem. — Aetatem ejus designat arabica inscriptio hujus tenoris: „memorant hunc librum scriptum esse calamo Theclae martyris.“ At Cyrillus Lucaris adjecit pleniorem relationem, juxta quam: „Liber iste scripturae s. veteris et n. t. prout ex traditione habemus, scriptus est manu Theclae nobilis faeminae Aegyptiae ante 1300 annos paullo post concilium Nicaenum primum.“ Subjunxit autem, hanc totam inscriptionem in codice contentam fuisse lingva arabica, verum a mohamedanis ex odio religionis deletam, et tantum superiorem brevem relictam esse. Verumtamen si mohamedani codici nocere voluissent, vel totam inscriptionem, vel ipsum codicem annihilassent. Sed et brevior subscriptio repugnat historiae, quatenus per Theclam martyrem indicare videtur discipulam s. Pauli, huius enim tempore saltem canones Eusebii non poterant scribi. Fortasse, inquit Tischendorfius, traditioni per Cyrillum memoratae illud veri subest, quod codex e virginum coenobio s. Theclae Seleuciensi, quod aetate s. Gregorii Nazianzeni jam florebat, prodierit. Ceterum proprietates dialecti Alexandrinae habet. Vettstenius cum Casimiro Oudino observat, non a faemina, sed a monacho acemita repetendum esse; quia continet canones pro die nocteque divisos, acemitae autem erant monachi, qui diu noctuque laudes Dei cantabant, et cum institutum acemitarum saeculo 5-o non sit antiquius, codex quoque ultra hoc saeculum non ascendit. Vetus testamentum editum est Londini 1707—1720 ab Ernesto Grabe, novis curis autem ab Henrico Hervejo Baber ab a. 1812—1826 trib. volum. splendide. Novum anno 1786 edidit pariter Londini Godefridus Carolus Voi-

de, et praemisit introductionem amplissimam, in qua dicit se in codice hoc invenisse diversitatem non tantum pergamenae et atramenti, sed etiam literarum, unde infert esse opus plurium. Vocatur codex A, vel anglicus, vel etiam exemplar regium Londinense.

Codex B.

Dicitur vaticanus quoniam Romae in bibliotheca vaticana custoditur sub numero 1209; est unius voluminis, formae quartae, in membrana subtili et ferme pellucida, eleganter scriptus, literis uncialibus quadratis et perfecte aequalibus, intervalla verborum desunt, signa interpunctionum interdum visuntur, sed sunt manus recentioris. Continet omnes libros veteris et novi testamenti, sed tam initio, quam in fine truncatus est; ab initio desunt 46 capita Geneseos, dein libri Machabaeorum, et aliquot psalmi; e novo foedere epistola ad Hebraeos a 9, 14 usque finem canonis; epistolae itaque duae ad Timotheum, una ad Titum, Philemonem et Apocalypsis desiderantur. Ordo librorum sacrorum idem est, qui in codice A. Evangelia nec titulos habent, nec capita Eusebianis canonibus accomodata, sed tantum rubras numerorum notas, divisionem quamdam textus in ejus margine indicantes. Id peculiare in hoc codice est, quod omnes epistolae Pauli considerentur tanquam unum opus, et dividantur in certas sectiones, quarum numeri 93 currunt per omnes epistolas. Epistola ad Galatas desinit in numero 59, illa ad Ephesios habet numerum 70, epistola vero ad Hebraeos incipit a numero 60, et desinit in numerum 69, quod indicio est, hanc aliquando locatam fuisse post epistolam ad Galatas. Textus est graecus, columnae tres. Codex hic jam saepius collatus est, verum imperfecte. Vetus testamentum editum est jussu Sixti 5-i anno 1587-o, quae editio versionis Alexandrinae evasit celeberrima; novi foederis editio hac-

tenus non prodivit; inchoavit illam jussu Leonis 12-i Angelus May, et jam anno 1843-o quinque volumina habuit impressa; adhuc praefationes deerant, quas amplissimas parare voluit, at mense septembri a. 1854. magno sacrae literaturae damno morte praeventus opus reliquit imperfectum. Quoad aetatem, communior criticorum est sententia, ad saeculum 4-um esse referendum. Hugius edidit speciale opus anno 1810-o, cui titulus: „Commentatio de antiquitate codicis vaticani."

Codex C.

Litera hac notatur codex regius Parisinus, qui dicitur Ephraem rescriptus. Olim servabatur Constantinopoli, everso autem imperio graeco transivit Florentiam ad bibliothecam Laurentii de Medicis, unde a Catharina de Medicis Parisios translatus, in bibliotheca aulica sub numero 9 servatur. Continet vetus et novum foedus, at solum in fragmentis, nullus liber est integer. Codex hic saeculo 12. singulare fatum subiit, nempe: homo quidam rudis et avarus opus habens membrana ad describendos 38 tractatus Ephraemi Syri, madefacta spongia delevit literas, et membranam nova obduxit crusta, cui inscripsit Ephraemum. Sic mansit liber usque saeculum 17-um quo tempore, nova crusta rupta, ex fissuris apparebat textus biblicus, quo observato critici Ephraemum deleverunt, et textum biblicum restituere conati sunt, at multi hiatus manserunt. Anno vero 1834-o Parisios venit Fleckius, qui custodi bibliothecae Carolo Hase consilium dedit, ut codicem tinctura chemica giobertina dicta perfunderet; sic enim effectum iri sperabat, ut literae magis clarescerent, et legibiles evaderent, quod revera in aliquibus locis successit; ast alibi rem pejorem reddidit. Codicem hunc Constantinus Tischendorf 1843-o Lipsiae edidit. Aetas juxta Hugium et Tischendorfium est tam antiqua, ut ejus respectu praefe-

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA

rendus sit codici A. Patria est Alexandria vel saltem Aegyptus, scriptus est in membrana literis uncialibus et quadratis, singulae paginae singulas exhibent columnas, caret accentibus et intervallis verborum.

D. Est bilingvis graeco-latinus, stichometricus, habet duas columnas in quavis pagina, textus graecus est ad dextram, latinus ad sinistram, versio latina versione Hieronymi est antiquior; continet in 413 foliis formae quartae evangelia, Actus apostolorum, et fragmenta quaedam epistolarum, cum copiosis correctionibus et lacunis. Habet multas lectiones a ceteris codicibus valde abludentes. Ordo evangeliorum est sequens: primum evangelium est Matthaei, secundum Joannis, tertium Lucae, quartum Marci. Vocatur etiam Cantabrigiensis, quia servatur in bibliotheca universitatis Cantabrigiensis in Anglia. Adhibitus fuit olim per Robertum Stephanum in editione tertia novi foederis 1550-o, post quam pervenit ad manus Theodori Beza, qui monumentum hoc venerandae vetustatis 1581-o donavit universitati Cantabrigiensi. Editus est per Thomam Kipling 1793-o in duobus tomis. Scriptus est literis uncialibus quadratis ab homine lingvae tam graecae quam latinae non bene perito. Patria est eadem, quae priorum codicum nempe Alexandria, quod ostendunt proprietates dialecti Alexandrinae in hoc codice obviae; e. g. loco *ειπον ειπαν*, loco *ηλθον ηλθαν* etc. Aetas eius defigitur ad initium saeculi 6.

E. Basileensis, olim coenobii FF. Praedicatorum, postea bibliothecae publicae Basileensi illatus est, ubi actu servatur. Est saeculi 8-i et continet 4 evangelia in paucis locis mutila.

K alias Cyprius dictus eo, quod ex insula Cypro saeculo 17-o sit allatus, nunc in bibliotheca Parisina custoditur, continet quatuor evangelia integra, habet interpunctiones, et tribuitur saeculo 9.

Integritate evangeliorum adhuc eminent
M. Parisinus saec. 9.
S. Vaticanus s. 10.
U. Venetus s. 10.

Ceteri 21 unciales huius classis codices passim sunt mutili, vel nonnisi fragmenta, paucosque versiculos evangeliorum continent.

Actus apostolorum.

Huc pertinent codices A, B, C, D supra recensiti; praeter hos memorabilis est:

E alias Laudianus dictus, depositus est in bibliotheca Bodleiana cum Oxoniensi juncta in Anglia. Codicem hunc e Sardinia in Angliam allatum possedit Wilhelmus Laud archiepiscopus Cantuariensis, qui illum dein bibliothecae Bodleianae donavit. Eundem olim venerabilis Beda pro commentariis adhibuit. Typis editus est Oxonii 1715–o. Est bilingvis graeco latinus, stichometricus, continet solum Actus apostolorum, habet plures hiatus, scriptus saec. 6.

Fa Parisinus, saeculi 7. Continet quidem octateuchum cum libris regum, sed inter scholia etiam 20 loca novi foederis, et ex his 7 versiculos Actuum apostolorum.

Codex G Angelicus, h. e. bibliothecae Angelicae ordinis s. Augustini Romae, continet Actus apost. inde a cap. 8. v. 10. et epistolas catholicas. Saeculi 9–i.

H. Mutinensis saeculi 9–i cum hiatibus et supplementis recentioribus.

Epistolae catholicae.

Huc pertinent A, B, C, quos e prima classe noscimus, deinde G idem qui pro Actibus apost., tandem accedit novus I Mosquensis, e monasterio s. Dionysii montis Athos, saeculi 9–i. Epistolas catholicas continet integras, adjuncta catena patrum. Intermediae literae D, E, F, H nihil ex epistolis catholicis continent.

Epistolae s. Pauli.

Haec classis comprehendit praeter principes A, B, C sequentes codices:

D alias Claromontanus dictus. Possessor ejus fuit Theodorus Beza. Est bilingvis, graeco-latinus, latina versio Hieronymi versione antiquior, continet epistolas Pauli cum nonnullis hiatibus; plures correctores textum ejus reformarunt, qui multas habet singulares lectiones. Custoditur in bibliotheca publica Parisiis, scriptus autem est saeculo 6 vel 7.

E alias Sangermanensis dictus, quia erat abbatiae s. Germani ord. s. Benedicti, in suburbio Parisiensi sitae; post exustam abbatiam transivit Petropolim, ubi nunc quoque in bibliotheca caesarea asservatur; est bilingvis graeco-latinus, continet epistolas Pauli, est apographum codicis Claromontani, descriptus saeculo 10 v. 11.

F alias Augiensis ab Augia majore (Reichenau) antiquissima abbatia Benedictinorum in amoena insula prope Constantiam sita sic dictus; hinc transivit in Angliam et per longum tempus latuit ita; ut eruditi deperditum putarent, donec Heribertus Marsh publicam eius notitiam dedisset; servatur in bibliotheca Cantabrigiensi collegii sanctissimae Trinitatis. Est bilingvis graeco-latinus, in textu graeco habet 13 epistolas Pauli, in latino vero 14, nempe epistola ad Hebraeos solum in latino textu continetur; post singulam vocem habet punctum, non est antiquior saeculo 9-o.

G alias Boernerianus a possessore dictus, servatur, in bibliotheca regia Dresdensi, est graeco-latinus, continet 13 epistolas Pauli, excepta nempe illa ad Hebraeos, est interlinearis, interposita sc. versione latina valde literali, textus graecus uncialibus, latinus vero scriptus est literis minoribus anglo-saxonicis. Continet adnotationes grammaticas, e quibus adparet adhibitum fuisse pro studio lingvae graecae. Scriptus est saeculo 9. convenit cum codice

F, uterque ergo ex alio aliquo tertio codice communi descriptus est, majores habet literas initio stichorum, unde adparet, e stichometrico esse descriptum, licet ipse continua serie decurrat.

Fa idem qui in Act. ap. Habet 10 versiculos e variis epist. Paulinis.

I. Angelico-Romanus, idem qui in 2-a classe literam G gerit.

K Mosquensis, idem, qui in tertia classe litera I notatur.

L fragmentum saeculi 10. paucos versiculos epistolae ad Hebr. continet.

Apocalypsis.

Pro hac soli dantur A, B, C e quibus A et C iidem sunt, qui in 1-a classe, B vero vaticanus quidem, at diversus ab antiquissimo illo vaticano, qui in reliquis classibus inter principes tenet locum et pariter litera B insignitur. Cum ille Apocalypsi careat, in hac classe literam B gerit codex saeculi 7-i vel 8-i olim Basilitarum Romae degentium, nunc bibliothecae vaticanae. Continet Apocalypsim integram, et varia patrum scripta.

Haec de codicibus uncialibus hactenus.

Not. Codices minoribus literis exarati, qui breviter cursivi dicuntur, a 10- usque 16-um saeculum scripti, antiquitate quidem sunt inferiores uncialibus, at numero, et textus integritate illis longe praestant Pro evangeliis habentur circiter 500, quibus accedunt 150 evangelistaria, seu libri pericopas ecclesiasticas ex evangeliis continentes. Pro Actibus apost. et epistolis cath. circa 200, pro Paulinis circa 300, pro Apocalypsi prope 100. Accedunt lectionaria, seu collectiones pericoparum ecclesiastic. ex Actib. epistolis et Apocalypsi 60. Plurimi sunt in Italia, supra 250, (praeter evangelistaria et lectionaria); deinde Pa-

§. 31.

De editionibus typographicis n. t.

Laboriosam scribarum industriam in parandis apographis biblicis relevavit ars typographica circa a. 1436-um inventa, cujus ope exempla librorum majori numero et faciliori modo ceperunt multiplicari. Pro magno pretio et usu, in quo christiani sacros libros habebant, novum inventum paullo post etiam ad imprimenda biblia fuit adhibitum, et jam ab a. 1455 usque 1522 plus quam 150 completae editiones textus latini lucem conspexerunt. Sed et in lingvis originalibus typo vulgata fuit scriptura quamprimum artis evolutio tentamen ejusmodi admisit. Prius autem impressus fuit textus hebraeus (1488) quam graecus. Quantum ad nostram memoriam pervenit, primum typis graecis vulgata sunt duo cantica: Magnificat et Benedictus. Postea 6 capita evangelii s. Joannis. Tandem initio saeculi 16-i manus admota fuit imprimendis integris bibliis n. t., atque eodem fere tempore binae procusae sunt editiones, reliquarum principes, altera Compluti in Hispania, altera Basileae: e quibus aliae plurimae fluxerunt; cumque istae repraesentent illos codices, e quibus adornatae sunt, pro textu biblico non exiguum momentum habent.

Editio Complutensis natales in acceptis refert viro virtute non minus, quam literarum amore admirabili Francisco Ximenes de Cisneros ex ordine s. Francisci archi-

---

risiis 165, in Anglia 90, Mosquae plus 30, Vindobonae 24, etc. Hungaria tres possidet, qui in critica biblica sequentibus numeris notantur: 78, 86, 100. Primus custoditur in museo nationali Pestini, alter in bibliotheca lycei Augustanae Conf. Posonii. postremus in bibliotheca universitatis Pestinensis. Singuli continent 4 evangelia in membrana, et sunt ejusdem circiter vetustatis, ad saeculum 10-um vel 11-um pertingentis. Cf. Append. nostrae Introd.

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA Seite 121 von 294

episcopo Toletano primati Hispaniae et cardinali; qui evocatis liberalitate regia viris lingvarum peritis et comparatis undique manuscriptis biblicis, e quibus 7 codices hebraici 4000 aureis erant emti, anno 1502-o grande opus auspicatus est, et postquam pro gravitate rei 12 fere anni perficiendo operi fuissent impensi: primo novum testamentum prelo submisit, die 10-a Januarii 1514 consummatum. Proximus, qui emanavit, tomus continet duo lexica, in quorum altero vocabula hebraea et chaldaica latinam interpretationem et citationes omnium textuum adjectas habent, in quibus occurrunt; in altero autem syllabus vocum latinarum cum significationibus hebraeis et chaldaicis exponitur. Praeterea explicantur nomina propria terminis hebraeis, chaldaicis et graecis in scriptura v. vel n. t. expressa, denique additur grammatica lingvae hebraeae. Quatuor alii tomi comprehendunt vetus testamentum. Interpositae sunt in singulis praefationes, et variae lucubrationes. Integrum opus 6 voluminibus in folio, et 600 tantum exemplis absolutum ultra 50 millia aureorum constabat, et nomen retulit polyglottorum Complutensium, quia textum plurium lingvarum exhibet, sc. hebraicum, chaldaicum (in solo pentateucho) graecum et plures latinas versiones. Ad finem deductum est 10-a Julii 1517 aetatis Francisci Ximenes 82-o, qui post 4 menses e. a. diem supremum obiit. In praefatione qaec occurrunt: „Vos autem literarum studiosi hoc divinum opus noviter excusum alacri animo suscipite, et si Christi sectatores esse videri vultis, nil jam restat, quod causemini, quominus sacram scripturam adeatis. Non mendosa exemplaria, non suspectae translationes, non inopia textus originalis: solum animus et propensio vestra exspectatur.“ Inter codices graecos, e quibus textus n. t. editus est, laudatur Rhodiensis, Venetus et plures e bibliotheca vaticana a Leone X. missi, de quibus editores in praefatione dicunt: esse exemplaria non vulgaria seu temere oblata, sed vetustissima simul et emendatissima, . . . tantae inte-

gritatis, ut nisi eis plena fides adhibeatur, nulli reliqui esse videantur, quibus merito sit adhibenda.“ Etsi autem istud encomium recentioribus criticis nimium esse videatur: dubitari tamen nequit editores in suo instituto maturo cum judicio fideliter et religiose versatos fuisse, ita ut ipsi protestantes, qui superiori saeculo Complutensem textum graecum ad latinam vulgatam conformatum fuisse querulabantur, accusationi supersederent, imo praestantiam eius agnoscerent. Typus in n. f. caret spiritibus et accentibus, ordo autem librorum eatenus deflectit a recepto vulgatae ordine, quod evangeliis mox subjiciantur 14 epistolae s. Pauli, quas excipiunt Actus apost. tum 7 catholicae et Apocalypsis. In lectionibus variantibus plus quam 900 loca differunt a vulgata, e quibus permulta sunt, quae in pericopis liturgicis occurrunt, manifesto signo: editionis textum ad latinas pericopas minime conformatum fuisse. Quanquam autem typus totius operis a. 1517-o jam absolutus fuit: nihilominus ob approbationem apostolicam, demum a. 1520 22-a Martii concessam, duos annos et ultra reservatum fuit, quin distraheretur.

Unde factum, ut prius innotesceret altera fundamentalis editio textus graeci auctore Desiderio Erasmo Roterodamo. Hic non pluribus quam 5 nec admodum antiquis codicibus usus est, iu specie quodam Reichliniano in Apocalypsi, cuius lacunas ipse supplevit, vertendo textum latinum in graecum. Cumque a typographo Frobenio urgeretur, laborem 5 mensium, summo pontifici dedicatum jam a. 1516-o luci publicae tradidit Basileae; postea quatuor novas editiones addidit a 1519. 1522. 1527. et 1535., in quibus ad fidem plurium codicum et editionis Complutensis, quam in sua 3-a jam adhibere potuit, multa emendavit. In eandem 3-am recepit versum 7-um cap. 5. ep. 1. Joann. sumtum e codice quodam britannico, qui Monfortii fuisse creditur. Editio postrema seu 5-a ceteris magis divulgata fuit.

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA Seite 123 von 294

Editiones principes, Complutensem quippe, et Erasmianam, secutae sunt plures aliae, in quibus vel alterutra harum pro fundamento sumta fuit, vel utraque permixta; simul autem plures hactenus inconsulti fontes ad constituendum textum adhibiti. Ex hujus classis editionibus praecipua memoria dignae sunt, quas pararunt Robertus Stephanus, Theodorus Beza, et bibliopolae Elzevirii.

Robertus Stephanus typographus Parisiensis, tam eruditione, quam arte clarus 16 manuscripta bibliothecae regiae (adnumerata editione Complutensi) ad recensendum textum adhibuit, quem quater typo vulgavit, iu primis duabus editionibus textum Complutensem, in 3-a autem a. 1550-i quintam Erasmianam secutus. In postremo a. 1551. adposuit versus, quos jam antea in editionem vulgatae de a. 1548 induxit.

Theodorus Beza eruditus Calvini assecla, qui memorabile cum s. Francisco Salesio colloquium habuit, textum biblicum n. f. quinquies typo fecit excudi ab a. 1565—1598. In prima quidem editione textum Stephani de a. 1550 pro basi assumsit, nec multum ipse ad perfectionem contulit: at in posterioribus praeter codices Cantabrigiensem et Claromontanum etiam versionem syriacam et arabicam in subsidium adhibuit, et plura correxit, unde ejus editio magni fiebat.

Eam in suum emolumentum vertentes Elzevirii in Hollandia textum Stephani de a. 1550 prout a Beza emendatus fuerat, cum quibusdam novis correctionibus ediderunt Lugduni Batavorum a. 1624, quae editio auctoritate Bezae et eleganti forma commendata ita complacuit, ut sequentibus annis plures editiones postularentur, jamque in 2-a de a. 1633-o editores in praefatione haec verba jactarent: „Textum ergo habes ab omnibus receptum, in quo nihil immutatum, aut corruptum damus.“ Revera distractis ultra 8000 exemplis praesumtio illa in effectum abiit, ita ut abhinc textus iste vulgaris receptus evaderet, non

modo apud protestantes, verum etiam in tota fere ecclesia christiana orientali et occidentali. Fundamentum igitur textus recepti est editio Stephani 3–a quam postea in 175 circiter locis Theodorus Beza et alii mutarunt. Rursus Stephani 3–a, inquit Constantinus Tischendorf, paucissimis exceptis quintam Erasmi expressit usque ad Apocalypsim, ubi ad Complutensem potius, quam ad Erasmicam conformata est. Erasmus vero textum editionis suae 5–ae fere totum ex 4–a (a. 1527.) repetiit, in qua praeter perpaucos, eosque recentes codices passim Complutensem, maxime in Apocalypsi sequi placuit.“

Sic quidem textus receptus e Complutensi velut ultimo fonte fluere videtur: notari tamen merentur, quae Joannes Millius in editoribus Complutensibus his verbis laudavit: „Illud pro rato est, inquit, in paucis admodum a codice suo abiisse editores; non modo quod opus a nemine ante tentatum, et fortasse quidem, ut ferebant tempora ista, periculosum aggressis, consultissimum fuerit, intra textum ab apostolica sede iis propositum se totos, quoad eius fieri posset, continere: verum etiam, quod codicem . . praestantioris notae nacti essent, a quo non opus erat, ut in multis recederetur. Certe commodum accidit in evangeliis quod ad unum hoc compositi fuerint exemplar. Hinc enim textus purior, et ab injectitiis lectionibus aliquanto liberior illo, quem exhibent posteriores aliquae editiones novi test. Unius nimirum codicis ductum secuti, ejus solius interpolationes, haud ita numerosas in editionem hanc transtulere; dum alii seu libros non bonos nacti, seu per varios grassati, et ex iis clariora, tanquam rectiora fere consectantes, plura longe non genuina in contextum admiserint.“ In Actibus quidem et epistolis Millius plura vitia tribuit Complutensibus, continuat tamen: „Missis autem istis textus reliquus sanus fere est, et supra, quam a primis editoribus exspectari poterat, emendatus, ad genuinam dictionem apostolicam omni propemodum sui parte egregie composi-

tus“ etc. Haec etsi recentioribus Aristarchis displiceant, ideo citasse juvat, ut eorum, qui quamlibet editionem textus biblici levi judicio recipiunt, impetus temperetur.

Articulus II.

De textu biblico translato.

§. 32.

Origo et usus versionum biblicarum n. t.

Mox ut religio christiana inde a festo pentecostes ad variarum lingvarum nationes diffusa est, et pars institutionis apostolicae scriptis commendata: naturale fideles desiderium incessit, usum tam salutarium librorum suae lingvae ope capiendi. Sicut igitur verbum Dei viva voce, sed peregrina lingva propositum, alii interpretandi facultate donati transferre solebant: *) ita libros apostolicos alterius idiomatis hominibus pervios reddere optimi quique gestiebant; considerabantur enim ceu praesentiae apostolicae surrogata; atque Eusebius auctor est, hoc plane scopo s. Matthaeum, cum ad exteras gentes profecturus esset, evangelium scriptum hebraeis reliquisse, ut sui absentis vicem quadamtenus suppleret. Itaque scriptam vocem apostolicam intelligere, illi quoque conabantur, qui diversi idiomatis usum habebant. Unde summe probabile fit: originem versionum in ipsa aetate apostolica quaerendam esse. Praesertim hoc valet de translatione evangelii s. Matthaei, quod primitus hebraice seu syrochaldaice scriptum, e veterum testimonio, vir quidam apostolicus in graecum convertit, quamvis in nomine referendo varient. Versio autem plenam tulit approbationem ita, ut originale sensim negligeretur; quod fieri non poterat si translationem graviores errores

*) Cf. 1. ad Corinth. c. 14.

foedassent. Factum istud pro re biblica magni est momenti, docet nempe: 1–o versionem, quae integram exhibet historiam et doctrinam, pro authentica valere posse; 2–o studium textus biblici in primam natalem formam critice restituendi laudabile quidem, sed relate ad Matthaeum effectu impossibile, quoad reliquos libros autem non absolute esse necessarium. Scilicet ad fines religionis aeque bene servire potest obvius codex dogmatice integer, ac quaevis primae notae critica editio.

Reliquae versiones librorum canonicorum diverso tempore sunt natae; aliae quidem ad aetatem patrum apostolicorum pertingunt, aliae vero succedentibus saeculis viderunt lucem, prout fere utilitas nationum propriis lingvis loquentium postulabat. Distingvimus autem versiones alias immediatas, alias mediatas. Illae e fonte graeco manarunt; istae e priori quadam translatione; estque ratione usus, quem nobis praestant, magnum inter utrasque discrimen. Scilicet versiones duplici commendantur usu, hermeneutico et critico. Usum hermeneuticum praestant in exponendo textus biblici sensu, quem interpretes suae lingvae verbis persaepe ita reddiderunt, ut facilem textus intelligentiam exhiberent. Quia vero aetate et patria origini scripturae erant vicini, nec non fidei integritate praediti: translationes eorum diligenter et fideliter factae certe grave in exponenda scriptura pondus habent, eo suapte intellecto, auctores ab humanae conditionis labibus alienos non fuisse. Usus vero criticus consistit in testanda vera textus lectione, seu in demonstrando, qualis vox aut sententia dato in loco ab auctore scripta fuerit. Per se jam patet, in utroque casu versiones immediatas longe praestare mediatis; posteriores enim naevis, jam in priori versione contentis, ut par est conjicere, proprios quoque supperaddunt, siquidem saepe phrases in alia lingva nonnisi imperfecte possunt exprimi; et praeterea fragilitati prioris interpretis accedere solet oscitantia vel ignorantia succedentis. Versio igitur mediata valet quidem

ad interpretandum, aut critice tractandum suum fontem, scilicet priorem versionem: at pro originali sub utroque respectu minoris est momenti quam immediata. Solet autem usus hermeneuticus in ratione inversa stare ad criticum, ita ut interpretatio, quo magis detegendo sensui favet eo minus valeat pro testanda originali lectione; et vice versa, quo magis e versione perspicitur, quid fons per singulas voces legerit: eo minus illustratur sensus. Nempe dotes bonae interpretationis requirunt, ut illa non premat serviliter literam, vi verbis et genio lingvae illata, sed fidelitati simul et claritati studeat: hoc autem saepe sine liberiori vocum tractatione (ceterum intacto sensu) non obtinetur. Praeterea usus versionis tam hermeneuticus quam criticus multum pedet ab ejusdem antiquitate; testis enim eventui propior, ceteris paribus, pleniorem potest habere illius cognitionem, itaque etiam interpres antiquior certius valet testari de utroque illo facto, scilicet tum quid auctor scripserit, tum qualem sensum suis verbis subjecerit. Nihilominus recentiores versiones, praesertim immediatae, etiam audiri merentur; varia namque possunt concurrere adjuncta, uti insignis dexteritas interpretis, lingvae affinitas, patria codicis, e quo fit translatio etc. quae testimonium illarum haud mediocriter commendant. In sequentibus versiones novi testamenti celebriores enarrabimus, addita versionum hungaricarum licet multo recentiorum notitia, quae nobis domesticis non quidem criticam attamen historicam offert utilitatem.

§. 33.

Versionis latinae origo et diversitas.

Quanquam lingva graeca in Italia, imo in ipsa urbe Roma plurimis cognita esset: publica tamen lingva fuit latina, et jam haec ratio suffecit ad id, ut scripta religionis christianae in lingvam latinam verterentur. Certe enim multi

christianorum, utriusque lingvae peritorum, se senserant impelli, ut argumentum revelationis divinae lingva dominis orbis vernacula celebrarent, praesertim cum Romae non minus quam in reliquo imperio christianorum numerus in dies cresceret, ita ut ante editos plerosque libros jam s. Paulus fidem Romanorum in universo mundo diceret annunciari. Praeterea cum principes apostolorum Petrus et Paulus morte sua Romanam ecclesiam illustraverint, et simili modo centrum totius regni moralis effecerint, prout civili titulo centrum erat amplissimi imperii: facile auctoritas hujusmodi, religionis christianae incremento, etiam per versionem latinam propagando utilis futura credebatur. Unde simul colligitur, versionem latinam haud integro, vix etiam dimidio saeculo a morte apostolorum, fuisse dilatam, sed probabiliter paullo post subsecutam. At nec locus factae versionis constat, nec auctor; illud unum e s. Augustini testimonio compertum habemus: plures, easque varias exstitisse translationes librorum canonicorum in lingvam latinam. Sic enim ille libro 2. „De doctrina christ.“ loquitur: „Qui scripturas ex hebraea lingva in graecam verterunt, numerari possunt, latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex graecus, et aliquantulum facultatis utriusque lingvae habere sibi videbatur, ausus est interpretari.“ Teste igitur s. Augustino jam primis fidei temporibus multi sunt inventi latini interpretes, et hoc ipsum confirmant praeter citata ss. Patrum et scriptorum ecclesiasticorum, qui ante vulgatam vel receptam Hieronymi editionem scripserunt, etiam codices partim graeco latini, partim a Blanchino editi, nec non fragmenta versionum latinarum a Petro Sabbatier collecta. *)

*) De graeco-latinis codicibus jam egimus. Ex ceteris laudare libet tres insignes evangeliorum codices, qui versionem italam exhibent, scilicet Vercellensem, manu Eusebii martyris exaratam, Veronensem et Vindobonensem, qui literis a, b, c signantur, et sunt saeculi 4-i.

Interpretes illos vario successu, alium nempe alio melius transtulisse per se intelligitur. Ceteris tamen judicio ipsius Augustini praestabat versio Itala, nam est, inquit „verborum tenacior cum perspicuitate sententiae;“ seu cum exacta fidelitate etiam perspicuitatem jungere novit. Porro, cur Itala diceretur, eruditi diversas protulere conjecturas, alii patriam in causa ponunt, alii vero codices ex Italia allatos, ad quos versio latina africanae originis reficta fuerit. Prior opinio videtur verisimilior; nam cum religione christiana etiam versio librorum sacrorum ex Italia in Africam transiisse videtur, ubi dein ita communis evasit, ut jam Tertullianus eam in usum exiisse memoret. De cetero vocabatur usitata, vel vulgata et communis. Bonitas illius praecipua consistebat in simplicitate, quam Augustinus laudat. Neglecto scilicet omni verborum fuco, originalem fontem presso pede sequitur, sic tamen, ut simul perspicuitatis rationem habeat.

Interim per illum, cujus meminimus, communem usum versio latina crebras etiam mutationes passa est. His accesserunt exempla aliarum versionum latinarum, quae aliquando forte confundebantur, aliquando autem aliud ex alio corrigebatur. Unde magnam oportuit enasci varietatem scripturae, de qua expresse testatur s. Hieronymus ad Damasum papam scribens: „Novum opus, inquit, me facere cogis ex veteri, ut post exemplaria scripturarum toto orbe dispersa, quasi quidam arbiter sedeam, et quia inter se variant, quae sint illa, quae cum graeca consentiant veritate, decernam.“ Et paullo post: „Si latinis exemplaribus fides est adhibenda, respondeant quibus: tot enim sunt exemplaria paene, quot codices.“

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA Seite 130 von 294

§. 34.

Ejusdem per s. Hieronymum emendatio.

Exemplaribus versionis latinae vehementer ab invicem discrepantibus s. Damasus papa consilium cepit primate totius ecclesiae dignissimum, ut scilicet varietatem codicum latinorum ad fidem textus originalis curaret emendari. Ad quem finem deligendus erat vir, tanto labori par, ne illud eveniret poetae:

Curando interdum fieri pejora videmus
Vulnera, quae melius non tetigisse fuit.

Erat autem tunc temporis a studiis biblicis jam notus vir, severi ingenii, probatae virtutis et vastae eruditionis tam sacrae quam profanae, s. Hieronymus presbyter, cujus tam philologicae et biblicae cognitiones, quam gravis character sperare jubebat fore, ut opus rite perficiatur, et cedat ad majorem Dei gloriam. Hunc igitur pontifex ad suscipiendam latinae versionis recensionem excitavit, illud unicum praecipiens, ut latinus textus e graeco emendaretur. Reliqua Hieronymi judicio erant commissa, ad normam: Mitte sapientem, et nihil ei dixeris. Hieronymus, vir sagax, facile praevidit, tale opus multorum invidiam et bilem commoturum; idcirco scribit Damaso: „Pius labor, sed periculosa praesumtio, judicare de ceteris, ipsum ab omnibus judicandum; senis mutare lingvam, et canescentem jam mundum ad initia retrahere parvulorum. Quis enim doctus pariter vel indoctus, cum in manus volumen assumserit, et a saliva, quam semel imbibit, viderit discrepare, quod lectitat, non statim erumpat in vocem, me falsarium, me clamitans esse sacrilegum, qui audeam aliquid in veteribus libris addere, mutare, corrigere?“ Sed tanto magis posteritatem sibi devinxit immortalibus gratiis, qui videlicet pro honore religionis non renuerit contra torrentem navigare.

Ut igitur provinciam sibi delatam rite obiret, idonea finem assequendi media comparavit, codices nempe graecos, non qualescunque, sed veteres. De reliqua bonitate eorum nil memorat: at vitiosos pro emendandis vitiis, ab Hieronymo, qui toties contra defectus exemplarium detonat, fuisse adhibitos, nemo, qui veritatem fateri velit, sibi persuadeat. Ceteroquin in ipsa vetustate jam magna pars fidelitatis plerumque continetur. Poterat utique auctoritate hujusmodi codicum textum notabiliter mutare; sed provido consilio infirmitati hominum aliquid deferendum duxit, ne ob accidentalia fides vel caritas debilium vacillaret. Suo facto igitur comprobavit, tam religionis, quam bibliorum auctoritatem, per nullius momenti varietates haud infringi. Discimus hanc moderationem e propriis ejus verbis in saepe citata ep. ad Damasum, ubi sic scribit: „Igitur haec praefatiuncula pollicetur quatuor tantum evangelia, quorum ordo est iste: Matthaeus, Marcus, Lucas, Joannes; codicum graecorum emendata collatione, sed veterum, quae ne multum a lectionis latinae consvetudine discreparent; ita calamo temperavimus, ut his tantum, quae sensum videbantur mutare, correctis, reliqua manere pateremur, ut fuerunt.“ Non ergo omnia emendavit, quae potuissent emendari, sed de solo vero sensu sollicitus, minima instar praetoris non curavit. Utinam graeci codices, ad quorum textum latinam versionem recensuit, mansissent! Sed erat in ordine providentiae divinae, ut veritas aliunde certa hunc etiam corticem amitteret, quo magis fides in medullam tenderet. Quae autem fuerint emendationes ab Hieronymo peractae, metiri licet e collatione antiquioris versionis latinae cum emendata vulgata, in quantum utriusque documenta satis certam exhibent lectionem. Aliqua enim ob variantes codicum et editionum lectiones dubium relinquunt, num seu in itala hoc modo, uti nunc supersunt, lecta fuerint, seu ab Hieronymo iuxta praesentem formam emendata.

Dubitarunt denique viri quipiam eruditi, num s. Hieronymus totam n. t. scripturam recensuerit, vel tantum 4 evangelia, illo maxime argumento moti, quod in paullo ante citata ep. ad Damasum, quae simul evangeliorum est praefatio, ipse dicat: „Igitur haec praefatiuncula pollicetur 4 tantum evangelia“ item, quod in alios n. t. libros contra consvetudinem sancti doctoris, nullae adsint praefationes. Verumtamen leviora haec sunt, quam ut hypothesim consolident. Primum enim recte dixit Hieronymus tunc, dum nonnisi solam poterat evangeliorum emendationem Damaso transmittere, reliqua posthac daturus. Alterum autem e simplici omissione, cum contrarii necessitas nequeat demonstrari, facile explicatur. Accedunt vero directa indicia, quibus emendatio totius n. t. satis apte probatur. Dicit enim in libro de viris illustribus c. 135: „Novum testamentum graecae fidei reddidi.“ Et in ep. ad Lucin. *) „Novum testamentum graecae reddidi auctoritati.“ Atqui sub novo testamento haud congrue intelliguntur sola evangelia. Siquis dicat: Hieronymum post mortem Damasi pontificis, quae brevi post emendata evangelia evenit, lubenter supersedisse periculoso et odioso labori: ille intrepidum sancti viri characterem parum novit. Nequaquam fregerunt calumniae ejus constantiam, plus enim causae dignitate, quam suae personae amore ferebatur; ideoque etiam translationem librorum hebraicorum, non minus odiosam, postea continuavit, dicere valens in praefatione libro Esther praemissa: „Nec affectamus laudes hominum, nec vituperationem expavescimus; Deo enim placere curantes, minas hominum penitus non timemus.“

---

*) 71. t. 1. col. 432.

§. 35.

Fata et monumenta emendatae vulgatae.

Respectus ad ingenium adversariorum, quem in exequenda emedatione tenuit, s. Hieronymum contra tela eorundem non texit. Hic fere ita, sicut in veteri foedere carpebatur a doctis et indoctis, quin approbationem communem, ceu literariae sementis optatam messem, vita comite posset experiri. At veritatis juribus nec hominum invidia, nec lapsus temporis praescribit. Jamque aequales, quos aequitas direxisset, in recipienda emendatione praeibant, praecipue s. Augustinus. Ita enim in epistola ad Hieronymum scribit: „Non parvas Deo gratias agimus de opere tuo, quod evangelium ex graeco interpretatus es; quia pene in omnibus nulla offensio est, cum scripturam graecam contulerimus. Unde si quispiam veteri falsitati contentiosius faverit, prolatis collatisque codicibus vel docetur facillime, vel refellitur.“ Accessit illa ratio non parvi momenti, quod labor sub auspiciis ecclesiae Romanae fuerit peractus; hujus enim auctoritas etsi in hac causa non cogebat: certe tamen alliciebat; praecipue a tempore s. Gregorii M. qui versionem Hieronymi non modo laudavit; sed et exemplo suo communem fecit. Interim frequenti descriptione et multiplicatione hujus quoque exempla pari modo, ut codices graeci, varios defectus contraxerunt, quibus emendandis qualis impensa sit a diversis viris uti Alcuino, Lanfranco, et variis, quae sic vocantur, correctoriis, industria: minoris est ponderis, quam decretum concilii Tridentini, quo vulgata versio inter latinas declaratur authentica, et emendatissime imprimenda statuitur. Sic autem habet decretum (Sess. IV.): „Sacrosancta synodus, considerans non parum utilitatis accedere posse ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editioni-

bus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat: statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu, in ipsa ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat, vel praesumat.“ Et post plura interjecta, continuat sacra synodus: „Sed et impressoribus modum in hac parte, ut par est, imponere volens.... decernit et statuit: ut posthac sacra scriptura, potissimum vero haec ipsa vetus et vulgata editio, quam emendatissime imprimatur.“ Nova hujusmodi impressio post imperfectum successum correctionis, jussu Sixti V-i pontificis institutae, reipsa luce donata est auctoritate Clementis VIII-i estque adhuc in ecclesia catholica tam lege, quam universali usu sancita. De qua notandum: correctores eandem secutos fuisse regulam, quae jam s. Hieronymo pro cynosura serviebat, nempe non omnia, quae emendari potuissent, mutata, sed consulto sicut usus ferebat, fuisse relicta. Quare noli mirari, si editio haec vulgatae Hieronymianae ab antiquissimis ejus codicibus, per loca discrepet.

Sunt autem codices manuscripti hujus vulgatae, quibus tempus pepercit, sequentes, omni memoria digni: 1. Amiatinus a Constantino Tischendorfio a. 1850 Lipsiae eleganter editus, in cujus prolegomenis haec de historia et statu codicis e Bandinio excerpuntur: In bibliothecam Florentiae a Laurentio de Medicis Laurentianam dictam ubi nunc servatur, sub Leopoldo Hetruriae duce, postea imperatore Austriae hujus nominis 2-o e suppresso montis Amiatae coenobio translatus est. Fuit autem illud Amiatinum ss. Salvatoris coenobium in confinio Hetruriae et Status pontificii alto monti impositum, et per 5 fere saecula ordinis s. Benedicti, donec jussu Gregorii IX. pontificis Cistercienses successissent. Scriptor codicis longa traditio-

ne ferebatur ipse summus pontifex s. Gregorius M., cujus traditionis origo inde petenda, quod probabiliter Gregorio, ad potificatum evecto a primo possessore dono missus fuerit. Iste autem teste inscriptione fuerat Servandus, abbas monasterii s. Sebastiani m. triginta millibus passuum a monte Casino distantis, antea s. Benedicti discipulus, qui ipse anno 541 codicem scripsit, et jam grandaevus Romam misit. Codex literis uncialibus eleganter est scriptus, in membrána formae maximae, tantaeque molis, ut ab uno homine portari vix possit. Quaelibet pagina in duas columnas divisa, numerat bis 43 stichos. Continet vetus et novum testamentum ab omni parte integrum, proinde vel hoc titulo rarissima inter cimelia numerandus.

Ejusdem fere cum Amiatino vetustatis est codex Fuldensis totius n. t.

Hos duos sequitur Toletanus literis gothicis exaratus, pariter totius n. t.

Sola evangelia continent praeter alios:

Codex Emmerami, olim monasterii s. Emmerami, nunc servatur Monachii, item

Forojuliensis, cujus Marcus Venetiis habetur, praeter duos quaterniones, Pragae depositos. Reliqua evangelia sunt integra Forojulii.

§. 36.

Auctoritas vulgatae.

Vulgata hodierna, quamvis per varias transierit vicissitudines, absque dubio tamen, potissima parte, characterem retinuit a s. Hieronymo acceptum, ita, ut vetus foedus (demtis paucis libris) propriam ejus translationem, novum vero veteris vulgatae emendationem contineat. Labor talis non sine sacrificiis ad gloriam Dei susceptus, divina non poterat benedictione destitui, unde et meritum ejus per diuturnam probationem clarius eluxit. Evasit enim

opus Hieronymi totius ecclesiae occidentalis liber, usu solenni consecratus et nunquam senescens, qui longo saeculorum usu plerisque omnibus probabatur, antequam decreto ecclesiastico praescriptus esset. Atque haec universalis et spontanea receptio optimum est bonitatis ejus criterium. Non enim poterat unquam opus depravatum cultissimam ecclesiae partem adeo infascinare, ut pro pane lapidem, pro pisce serpentem avide deglutiret. Quod quidem tanto tutius asserimus, quoniam versio illa non fuit sola in ecclesia nota, sed certe plures ejusdem lingvae versiones habuit aemulas, uti vel e decreto Tridentino constat. Patres quidem Tridentini inter „tot latinas, quae circumferuntur, editiones“ etiam protestanticas intellexerunt: nequaquam tamen solas. Notari poterat e. g. versio Erasmi, etsi stilo et puritate lingvae se prae vulgata commendabat. Nullo igitur alio argumento opus erat, nisi illo multorum saeculorum publico usu, ut auctoritas vulgatae in concilio Tridentino non tam decerneretur, quam declararetur. Aliqua versio latina ex multis approbanda utique fuit, ut in usu verbi divini liturgico, dogmatico, pastorali unitas obtineret: quae autem alia poterat praevalere versioni, tacito consensu jam dudum approbatae?

Si protestantes initio reformationis vulgatam adeo vilipendebant, ut omnem ei auctoritatem abjudicarent: id non e seria veritatis indagine, sed e praejudicio sectae, in specie autem ex odio concilii Tridentini fecisse censendi sunt. Aequiores praestantiam vulgatae semper dignis laudibus celebrarunt. Exemplo sit Waltonus polyglottorum Londinensium editor, qui in prolegomenis X p. 74. sic defendit vulgatam: „Licet divinam non agnoscamus: magni tamen faciendam, et non temere proscindendam, tum propter ejus antiquitatem et usum generalem per occidentem per mille annos, tum propter interpretis, quem Hieronymum ex majore parte agnoscimus, doctrinam et fidelitatem, quem de ecclesia bene meruisse gratis animis

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA Seite 137 von 294

praedicant protestantium doctissimi.“ Etiam novissime C. Tischendorfius laudat vulgatam dicens: „Critica Hieronymi studia fuisse gravia, ac prae omnibus fere patribus latinis reliquis, etiam num magni facienda esse: nisi constaret inter rei peritos, facili negotio probaturus essem *). Quare Car. Lachmannus (prof. Berolin.) merito damnat illos, qui „coeca quadam ac stulta superstitione“ versionem latinam contemnunt.

At videndum jam, quid et quantum dicta approbatio vulgatae, in concilio Tridentino declarata, importet. Non enim hac de re idem est omnium sensus: alii ultra mentem concilii, ut nobis quidem videtur, vim decreti extendunt, alii autem per quaesitas interpretationes eandem justo magis extenuant. Inprimis nihil patet evidentius, quam usum textus originalis non damnari. Ipsa decreti verba ostendunt selectum fieri non inter originalem et translatum textum, sed inter varias latinas editiones; ut adeo ulteriori textus originalis apologia non sit opus. At quaeritur, 1-o num in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus vulgatae usus lege sit impositus, vel solum ceu rectus declaratus? 2-o num in collisione cum textu originali valeat argumentum e vulgata depromtum, nec ne?

Ad primum dicimus: usum vulgatae non ita praecipi, ut sola in docendo debeat adhiberi. Sic enim indirecte textus originalis quoque fuisset reprobatus, et veluti exauctoratus. Cui bono enim serviat originalis textus, qui in omni demonstratione a ferendo testimonio sit exclusus? Praeterea lingva latina hodie jam a solis eruditis intelligitur; quis vero defendet hac sola lingva scripturam populo esse explicandam? Certe ecclesiae, ritum orientalem profitentes, pariter longo saeculorum usu adhibent biblia di-

*) In edit. N. T. 1842. Parisiis p. III.

versi idiomatis, probante sede apostolica, scilicet syriacam, alexandrinam, armenicam, arabicam. Decretum itaque damnat solum errorem, quo quis vulgatam pro publica lectione etc. ineptam statueret, et quovis praetextu rejiceret; cum e mente concilii argumentum e vulgata petitum authenticam vim habeat.

Sed hinc suapte resolvitur altera quaestio, an scilicet in collisione cum textu originali recte petatur argumentum e vulgata. Si nempe concilium definivit, ut nemo vulgatam rejicere quovis praetextu audeat vel praesumat: sequitur, nec praetextu collisionis cum textu originali illam rejici posse, sed et in hoc casu argumentum ex ea petitum instar authentici valere. Unde in rebus fidei et morum versionis per ecclesiam approbatae eadem est auctoritas, quae textus originalis; alioquin sequeretur, auctoritate ecclesiae in rebus fidei et morum probari falsum. Quoties igitur textus vulgatae alium praebet sensum dogmaticum, quam originalis: absque cunctatione pro vero sumatur, oportet; sed et lectio textus originalis, dum aeque certa est (non autem varietate codicum perturbata) sub diverso respectu verum enunciat; ut adeo in hujusmodi conflictu censendum sit, tam approbatam versionem, quam fontem verum dicere, modo recte intelligatur. Imo fieri potest, ut, si documenta fontis varient, et lectionem relinquant incertam: argumentum ex approbata versione deductum longe sit fortius, quam e fonte petitum. Certe apostoli saepe argumentum formant e versione graeca alexandrina, dum illa discrepat a fonte. Quis jam illos vel imperitos dixerit interpretes, vel argumentum ab eis versioni alexandrinae superstructum, tanquam invalidum rejecerit? Par est ratio vulgatae; quia si hujus textus dogmatici, dum divergunt a fonte, sanum sensum non admitterent: profecto ecclesia errorem dogmaticum sanxisset, quod absonum est. Hujusmodi antilogias autem, etsi raro, interdum tamen, quum in veteri tum in novo foedere invenias. Quare,

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA Seite 139 von 294

si e. g. I. ad Cor. 15, 51. habetur: omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur; fons autem graecus docet: non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur: sub diverso respectu certe utrumque verum est. Pari modo Matth. 5, 22. juxta vulgatam quidem simpliciter prohibetur ira, juxta fontem autem *) vetatur ira sine causa: at lectio vulgatae, si e sensu ecclesiae intelligatur, rectae morum doctrinae bene concordat. Sic etiam Joann. 10, 29. tam latina, quam graeca lectio, licet differant, veritatem enunciant.

§. 37.

De versionibus syriacis.

In Syria, nominatim Antiochiae, exortum est nomen christianorum, quos ibi persecutio, tempore occisi Stephani nata, disseminavit. Eadem urbs praesentia Petri principis apostolorum fuit illustrata, atque centrum missionum apostolicarum, quibus Paulus doctor gentium per Asiam et Europam functus est. Proinde religio christiana in Syria, velut altera patria domicilium tenuit, paulloque post etiam ad thronum pervenit. In tali flore ecclesiae syriacae versio sacrorum librorum necessaria evasit, quapropter haud vane conjicimus, eam initio saeculi 2-i si non jam primo confectam, seu latinae aequalem esse. Quod et traditio syrorum confirmat, qui ipsam vel alicui ex apostolis, vel saltem discipulo apostolorum tribuunt. Quanquam enim hoc e nimia suae versionis existimatione jactasse dicantur: nihil tamen, quo aetas patrum apostolicorum evertatur, opponi potest. Auctor ipse incertus est, prout et locus editae primae versionis. Nihilominus ea communem obtinuit auctoritatem, uti e scriptis Ephraemi syri,

*) Codices tamen variant, et pars cum vulgata facit.

et usu ejus ecclesiastico elucet. Nec immerito. Est enim ex obtutu hermeneutico haud mediocri laude digna; nam quum textum originalem fideliter exprimit, simul a servili rigore literae aliena, sensus perspicuitati studet, tantaque lingvae puritate nitet, ut eruditorum judicio praestantissimum sit lingvae syriacae monumentum. A fidelitate et simplicitate nomen etiam gerit Peschito, hoc est plana vel simplex. At libros canonicos non continet omnes, deficit nempe praeter pericopam mulieris adulterae et 1 Joann. 5, 7. integra ep. 2. Petri, 2 et 3. Joannis, Judae et Apocalypsis, quos forte auctor non habuit, vel alia de causa transferre non potuit. Illud sane vix aliquam veri speciem habet, quod libri isti in ecclesia syriaca pro canonicis non fuerint agniti, ubi scilicet, quid apostolicum esset, nemo ignoravit, ob continuum cum apostolis et vicinis apostolicis ecclesiis commercium. Nec eo tempore, ad quod versionis natales redeunt, controversiae jam agitabantur de eorundem librorum auctoritate. — Versionis fontem esse graecum probant tam errores quidam translationis, qui nonnisi e posito graeco fonte capiunt explicatum: quam complura vocabula graeca in iisdem locis retenta, ubi in fonte leguntur, utcunque auctor bona propriae lingvae vocabula potuisset substituere *). Ceterum nec haec versio a communi fato librorum immunis mansit; mutationum et correctionum vices, indeque ortarum lectionum variantium sarcinam aeque subivit, ut alii codices graeci et latini. In specie quidam eruditi arguunt plura loca ad latinam vulgatam fuisse per temere emendantes exacta. Discrepat etiam textus editus, a textu manuscriptorum, quae observatio an illi magis faveat, aut istis: criticorum est expendere.

---

*) Hugius complura adfert exempla pro utraque thesi, e quibus accipe sequentia: 27, 6. τιμη, 7. αγρος, 28. χλαμυς, 30. προσωπον.

Utut autem tam antiqua sit haec prima Syrorum versio: in Europa tamen primum saeculo 16-o innotuit, quando Ignatius patriarcha Maronitarum cum sede apostolica in communionem rediit. Ille quippe hoc fine Moysen de Merdin legatum ad pontificem dirigens, una libros canonicos n. f. antiqua et recepta versione syriaca donatos in Europa typis imprimi voluit. Cum autem legatus nec Romae nec Venetiis necessarias impensas impetraret, recurrit ad Ferdinandum I. Romanorum imperatorem, qui svasu Alberti Wittmanstadii sui cancellarii sumtus offerens gloriam rari operis sibi vindicavit. Prodiit igitur 1555 Wiennae: „Liber sacrosancti evangelii de Jesu Christo Domino et Deo nostro. Div. Ferdinandi Romanorum imperatoris designati jussu et liberalitate, characteribus et lingva syra, Jesu Christo vernacula, divino ipsius ore consecrata, et a Joanne ev. hebraica dicta, scriptorio prelo diligenter expressa.“ Reliqui libri alium titulum gerunt. Prima haec editio deinceps saepe repetita et in polyglotta recepta fuit.

Ipsi autem versioni successit initio saeculi 6-i alia, dicta Philoxeniana, a Philoxene episcopo Hierapolitano, cujus hortatu Polycarpus chorepiscopus omnes n. f. canonicos libros, huc intellectis etiam illis, qui in priore versione desiderabantur, anno 508-o convertit. Haec autem versio charactere multum differt a priori; nam literae tenacissime adhaeret; ita ut absque collatione textus graeci, e quo fluxit, vix possit intelligi; ideoque pro dignoscendis fontis graeci lectionibus utilis est, at bonitate hermeneutica alteri impar; quo factum, ut antiquior in ecclesia syriaca in communi usu maneret. Typis edita est Oxonii per Josephum White a 1778 praeter Apocalypsim.

Hanc versionem a. 616 Thomas Heracleensis ad fidem trium codicum graecorum denuo recensuit, et literae adhuc pressius adcommodavit.

Tertia versio syriaca inter 4-um et 6-um saeculum confecta hierosolymitanae nomen gerit. Sed ex ea unicum evangelistarium superest.

§. 38.

Versiones aegyptiae, armenica et aethiopica.

In Aegypto lingva graeca quidem valde diffusa, et quasi domestica fuit: nihilominus antiquum regionis idioma inter incolas permansit, atque rudiores praeter hanc, aliam saepe ignorabant. Cum autem religio christiana viventibus apostolis jam radices in Aegypto figeret, et ibi etiam plurimi pauperes evangelizarentur: versio quoque librorum ss. in lingvam patriam sat mature necessaria evasit. Revera non unica, sed plures exstiterunt versiones aegyptiae, pro ratione dialectorum distinctae. Et quidem coptica in Aegypto inferiore recepta jam saeculo 3-o in lucem prodiit, quod ostendunt scripta Antonii abbatis, lingvae graecae ignari, in quibus usus frequens fit scripturae. Cum igitur Antonius centenario major circa medium saeculi 4-i e vita excesserit, initia versionis non obscure in saeculum 3-um ascendunt. Saltem eo tempore jam in usu ecclesiastico fuerat versio, dum Antonius, audita lectione scripturae motus, vitam monasticam cepit profiteri. Altera dialectus, sahidica dicta, in Aegypto superiore viguit, et pariter versionem s. scripturae produxit, aetate non multo inferiorem coptica; siquidem legitur Pachomium abbatem in Thebaide, Aegypti superioris, cum suis regularibus legisse scripturam, et in sua regula, dialecto sahidica scripta, hanc lectionem etiam praescripsisse. De tertia dialecto, quae est baschmurica, minus constat; solaque fragmenta e translatione biblica hujus idiomatis manserunt.

Versio armenica originem debet Mezrobo, alphabeti armenici inventori; qui cum Isaaco patriarcha

Armeniae, e codice graeco, tempore concilii Ephesini a. 431 ex ipsa hac urbe allato, versionem confecit, opem ferentibus duobus juvenibus, quos patriarcha Alexandriam graecae lingvae perfectius addiscendae causa misit, et Moyse Chorenensi historico. Versio haec immediata primum syriacae Peschito, postea autem, propter unionem cum ecclesia latina, etiam vulgatae latinae dicitur adcommodata fuisse, vix tamen argumenta rem hanc evincunt; nisi forte in 1-a editione pauca quaedam loca ad vulgatam fuerint conformata. Typis edita est Amstelodami 1666; novum testamentum vero Venetiis 1816; critica autem totius scripturae editio ibidem per Mechitaristas impressa 1805.

Versionis aethiopicae primordia sunt incerta, vix tamen a cunabulis ecclesiae, hic per Frumentium saeculo 4-o fundatae, procul distant, et forte ejusdem curae debentur; nam s. Joannes Chrysostomus hom. 2. in Joannem jam versionis aethiopicae meminit. Fontem habuit graecum, quod errores versionis, ex aethiopico idiomate explicabiles, confirmant. Impressa est Romae 1548, at cum codex in Actibus apostolorum mancus esset, editores ipsi e graeca et latina lingva textum deficientem converterunt in lingvam aethiopicam, prout hoc aperte fatentur.

Versionis persicae et arabicae sufficit obiter meminisse, sunt enim mediatae, scilicet persica syriacam habet matrem, arabica vero omnium librorum v. et n. t. latinam; illa teste Chrysostomo saeculo 4-o jam in usu fuit; haec saeculo 8-o a Joanne episcopo hispalensi est confecta; qua tamen antiquior est evangeliorum immediata versio, probabiliter saeculi 4-i.

§. 39.

Versio gothica et slavica.

Abbatia Verodunensis Vestphaliae possidebat olim manuscriptum, continens 4 evangelia, veteri dialecto teu-

tonica scripta. Codex hic ante bellum tricennale, ut securitati ejus consuleretur, translatus est Pragam, sed fatum, quod timebatur, hic subivit; nam Sveci Pragam expugnarunt, et codicem in suam redactum potestatem in Sveciam transtulerunt, postea devenit in manus Isaaci Vossii; cum vero de pace tractaretur, legatus regis Sveciae manuscriptum redemit, et donavit universitati scientiarum Upsalensi, ubi adhuc custoditur. Codex dicitur argenteus, quoniam scriptus est literis uncialibus argenteis, lingva est populi, qui habitabat in plagis septemtrionalibus, quia annos numerat per hyemes; fons est graecus, quod ostendunt plura vocabula graeca ibi retenta, ubi vernacula praesto erant. Versionis hujus auctor probabiliter est Ulphilas, episcopus Gothorum, qui saeculo 4-o legatione ad Valentem imperatorem functus est, et inventor scripturae gothicae dicitur. Ordo evangeliorum est idem, qui in codice D. Versio non est servilis, sed nec laxa, diu existimabatur tantum 4 evangelia continere, interim Knittel in bibliotheca Guelpherbytana invenit opus Isidori Hispalensis, cui titulus: „Origines“ et sub foliis invenit gothicam versionem epistolae ad Romanos. 1817-o Angelus May in bibliotheca Ambrosiana Mediolanensi invenit duos codices rescriptos, et sub utroque latebat versio gothica epistolarum s. Pauli praeter epistolam ad Hebraeos, quae utrobique deest.

Versio slavica confecta est paullo post conversionem Moravorum ad religionem christianam saeculo 9-o. Primum quidem archiepiscopi Laureacenses (Lorch) per missos ex Austria verbi Dei praecones inter Moravos religionem christianam disseminarunt, eo cum successu, ut multi nobiles cum duce Moymiro sacris undis abluerentur. Sed prospera haec initia perturbavit dissidium, inter Ludovicum regem Germanorum, et Rastislaum Moraviae ducem enatum, quo fervente germanicos presbyteros hic aditu Moraviae exclusit. Cum autem comperisset Constan-

tinum philosophum inter Chazaros vel Bulgaros evangelium felici cum successu praedicare, misso ad aulam Constantinopolitanam nuncio, eundem sibi ad informationem gentis mitti petiit, qui vocationi parens, assumto nomine Cyrilli cum fratre Methodio in Moraviam venit, et cum haud vane conjiceret: libros sacros in popularem lingvam translatos opportunum ad finem suum subsidium ferre posse: primum psalmos, dein novum testamentum cum aliis libris in slavicum idioma convertit e codicibus graecis familiae Constantinopolitanae circa annum 863. De illustrandis, conferendisque variis codicibus et editionibus totius n. t. egregie meritus est Josephus Dobrowszky, qui etiam versionem slavicam contra accusationem interpolationis aut refictionis e textu latino defendit Pragae 1815. Evangelia primum impressa sunt 1512 in Valachia, integra autem biblia Pragae 1570, et Ostrogi in Volhynia 1581.

§. 40.

Versiones hungaricae.

„Aliarum gentium versiones commemorantes, inquit Adamus Vizer, oblivisci non decet versionum hungaricarum“ quamvis hae ceterarum aetatem non assequantur; est enim ipsa gentis hungarae ad fidem Christi conversio recentioris aetatis. Juvat igitur saltem instar excursus domesticum literaturae biblicae statum breviter adumbrare. E primis quidem quatuor saeculis ecclesiae hungaricae nulla bibliorum hungaricorum monumenta tulerunt aetatem: versionem tamen jam tunc confectam, et in usu fuisse: plura sunt, quae nobis persvadeant. Sicut nempe apud alias gentes primi praecones verbi Dei mox erant solliciti de vernacula s. scripturae interpretatione e. g. Frumentius apud Aethiopes, Ulphilas apud Gothos, Cyrillus apud Moravos: ita idem ex paribus rationibus et in similibus adjunctis nostros fecisse, vix dubitare licet. Nam e primis in Hungaria

evangelii praeconibus ordinis s. Benedicti septem suis nominibus celebrantur, tanquam, „viri literati, et ungarica lingva interpretes expediti“ quibus igitur ad versionem bibliorum nec incitamentum a munere apostolico veniens deerat, nec promta interpretandi facultas. Certe synodus Strigoniensis anni 1114-i testatur pro bibliis hungaricis, vel saltem partibus horum, dum constituit, ut praecones verbi divini populo lingva patria scripturas praelegerent. Deinde in biographia beatae Margaritae virginis Belae IV. filiae refertur: eandem psalmos Davidicos, evangelia, et in specie passionem Christi lingva vulgari legere consvevisse. Nullam tamen hungaricam interpretationem ex periodo Árpádiana hactenus detectam fuisse, nemo mirabitur, qui praeter multas alias regni hujus calamitates vel solam Tartarorum et Turcarum inundationem, indeque derivatam funestissimam omnium bonarum rerum stragem aequa lance ponderaverit. Conventus sacri montis Pannoniae, ubi domicilium palaeographiae inprimis quaerendum erat, quinquies exustus, ab hostibus iterato vastatus, et saepe per plura decennia desolatus jacebat, quibus fatis supellex vel ad tutiora loca cursim raptim non sine detrimento deportata, vel penitus consumta fuit. Nihilominus vix dubitamus: in bibliothecis et tabulariis regni nostri plura adhuc monumenta antiquitatis latere, quae ubi diligenter fuerint excitata, fortasse etiam versionum hungaricarum, primo conversionis aevo paratarum, aliquas reliquias exhibebunt. Hactenus enim tam foris, quam domi pleraque ad sphaeram biblicam pertinentia fere aliud agendo, et felici, ut ajunt casu, fuere detecta. Si saeculo 17-o et 18-o Gabriel Hevenesy et Stephanus Kaprinay in eruendis variis manuscriptis et diplomatibus eo successu usi sunt, ut privata sua industria ille quidem 93, iste autem 154 volumina eorundem colligerent, quae nunc in bibliotheca universitatis custodiuntur: et si hoc quoque tempore penus antiqua novis detectionibus augetur: certum est, supellectilem literariam

patriae nostrae adhuc imperfecte cognitam, nec ita pauperem esse, ut nova adhuc codicum vetustorum literaria messis sperari non possit. Nam scientiarum instituta, quae a primordiis regni hic floruisse constat, uti Albense, Csanadiense, Strigoniense, postea autem Quinque-ecclesiense, Budense, Posoniense librorum collectione non carebant, imo historia diserte laudat penum librariam celeberrimae academiae Veszprimiensis, quae jam saeculo 13-o cum universitate Parisiensi comparabatur. Accedit regnum hoc olim copiosa habuisse monasteria, quorum nullum carebat aliqua, saepe autem diviti supellectile librorum. Ipse ordo Benedictinorum ultra 120 monasteria numerabat, e quibus hodie 5 nonnisi, multis jactata cladibus, remanserunt. Tandem splendida bibliotheca Budensis Matthiae Corvini, quae 50,000 manuscriptorum, magna ex parte auro, argento et bysso contentorum numerasse perhibetur, codices scripturae s. tam hungaricos quam alios desiderari certe non patiebatur, praesertim, cum 32 librarii sumtu regio constanter ad scribendos libros adhiberentur, bibliorum autem tantum esset pretium, ut saeculo 13-o monasterium Csatáriense pro uno exemplari s. scripturae duos pagos acciperet possidendos. Usque hodie nonnulla biblia manuscripta bibliothecae Corvinianae in variis Europae bibliothecis conservantur.

Sunt autem celebriores codices versionis hungaricae sequentes:

Codex Wiennensis, primum a Nicolao Révay diligenter exploratus et descriptus, continet in 161 foliis chartaceis formae quartae aliquot libros v. t., scilicet: Ruth, Judith, Esther, Baruch, Daniel, et 12 prophetas minores, cum multis scripturae correctionibus. Olim forte etiam alios libros sacros continebat. Versio manavit e vulgata latina, unde multi latinismi. Videtur codex esse apographum versionis ad initium saeculi 14-i confectae. Editus cura academiae hungaricae a. 1838.

Codex Monachiensis olim Joannis Alberti Wittmanstadii, ejusdem est internae indolis cum Wiennensi, et ex hoc dum integer esset, vel uterque ex tertio communi fonte descriptus, cum quibusdam, ut fieri solet, mutationibus. Continet in 108 foliis 4 evangelia cum calendario antiquo, detectus 1834-o per Nicolaum Fejérváry in bibliotheca regio-bavarica Monachii, unde agente Josepho palatino Wiennam pro descriptione missus, atque sumtibus academiae hungaricae typis excusus est. Subscriptionem gerit, quae annum et locum originis, item nomen describentis exprimit, his verbis: Ezen könyv megvégeztetett Némethi Györgynek Hensel Imre fiának kéze miat Moldovában, Tatros városában Ur születetének 1466-od esztendejében. *)

Alteram versionem conservavit codex Albensis bibliothecae episcopalis in Transylvania, continens quosdam libros v. f. nempe Job, sed hunc mutilum, dein psalmos, et canticum canticorum. Praeterea pericopas evangeliorum, epistolarumque per annum in ecclesia praelegi solitas, hymnos complures breviarii, orationes ad B. M. V. et sermones de laudibus ejus, denique passionem Christi ex evangeliis. Versio partium v. f. quamvis aliquantum mutata, ejusdem videtur esse originis cum priorum codicum versione, at translatio pericoparum, spectatis internis indiciis, diversa est, forte initio saeculi 15-i confecta; anno autem 1508-o teste subscriptione a Bartholomaeo Halabori sacerdote iterum descripta. Copiam perfectam, a Joanne Elekes 4-i anni theologo Albacarolinensi 1833-o confectam possidet academia hungarica, quin adhuc lucem publicam viderit.

Omnibus his exemplaribus prius divulgata est notitia illius interpretationis hungaricae, quam de omnibus utrius-

---

*) Tatros hodie adhuc superest, alias valach. Totrusch, sed jam pagus, in limite Moldaviae, cum 80 v. 90 hungaricis familiis.

que testamenti libris confecit Ladislaus Báthory monachus ordinis s. Pauli primi eremitae, in monasterio s. Laurentii Budae vicino, ubi anno 1456-o supremum diem obiit. Hujus tamen exemplaria desiderantur, nisi tale sit codex Strigoniensis a novissimo possessore Alexio Jordánszky canonico Strigon. etiam Jordánszkyanus dictus, de quo illam opinionem, esse apographum versionis Báthoryanae, traditio tenet, non repugnantibus notis internis. Inscriptus est nunc neoerectae bibliothecae ecclesiae metropolitanae Strigoniensis; continet autem in charta formae quartae Exodum a cap. 6-o, deinde 5 posteriores heptateuchi libros, in quorum fine haec legitur adnotatio: Ez az ó törvénynek heted könyvének végezeti . . . . . szent Dorottya asszony napján 1519 esztendöben. Sequuntur *libri* novi foederis omnes praeter 13 epistolas Pauli, quas protocanonicas vocant. In prima pagina Jordánszky propria manu haec adscripsit lingva latina: „Librum hunc post abolitum anno 1782 conventum Clarissarum Tirnaviae per se obtentum donavit mihi die 29. Maji 1820. Sp. D. Mathias Fába notarius ven. capituli Strigoniensis.“ Tirnaviam putatur codex transivisse e monasterio Elefántiensi Paulinorum in comitatu Nitriensi sito, quo post cladem Mohácsianam Paulinos Budenses partem suae supellectilis abstulisse credibile est. Stilus et lingva versionis aetati Báthoryanae conveniunt.

Aetate proxima est versio illa quam continet codex Pestinensis musei hungarici, confecta independenter a prioribus per anonymum monachum Carthusianum, et terminata, juxta subscriptionem in die Clementis anno 1527-o pro usu neo-conversorum hungarorum et sanctimonialium, inter quas suam quoque naturalem germanam Deo dicatam esse scribit. In 675 paginis continet evangelia et epistolas praelectioni in ecclesia destinatas, dein sermones sacros, et biographias sanctorum Hungariae. Olim in seminario cleri junioris Tirnaviensi ad Assumtam conservabatur, donec

anno 1814-o a Francisco Stipsics rectore, museo nationali donaretur. Est in forma quarta literis germanicis scriptus.

Praetermissis aliis, memoramus adhuc sequentes versiones ordine chronologico:

Benedictus Komjáthy apud Catharinam Frangepán conjugem Petri Perényi capellanus aulicus, concinnavit interpretationem epistolarum s. Pauli, et testatur pro antiquiori earundem versione hungarica, cujus lingvam suo tempore iam esse fere obsoletam dicit. Edidit suam Cracoviae 1533-o.

Gabriel Pesti nobilis prosapiae hungarus versionem evangeliorum adornavit, impressam Viennae 1536-o.

Joannes Erdősy, alias Silvester, natus in Szinérváralja, com. Szathmariensis, homo saecularis, cum uxore et liberis. Anno 1534 et 1535 Vittenbergae studuit sub Melanchthone, postea apud comitem Thomam Nádasdy paedagogus aulicus in castello Ujsziget, (hodie Sárvár com. Castrif.) denique professor lingvae hebraeae in scientiarum universitate Wiennensi, totum novum testamentum in lingvam hungaricam transtulit e latino et graeco textu, et typo vulgavit Uj-Szigethini anno 1541-o. Hic est primus liber pure hungaricus, qui in Hungaria prelum subiit. Joannem Erdősy cum Benedicto Komjáthy aliqui inter protestantes numerant, sed immerito. Secunda editio Serenissimis filiis Maximiliani imperatoris Rudolpho et Ernesto dicata prodiit 1574. Wiennae.

Casparus Heltai protestans pastor Claudiopolitanus, utrumque foedus vertit hungarice, adjutus opera plurium, et edidit Claudiopoli in 5 tomis anno 1551—1561.

Casparus Károlyi Göntziensis helveticae confessionis minister, lingvae graecae et hebraicae peritus, adornavit versionem totius scripturae s. a pluribus adjutus, ediditque Visolyini 1590-o. Hujus versio saepius recusa, apud protestantes passim recepta est, et distrahitur quoque a societate biblica Londinensi.

Catholicorum autem versionem receptam paravit hortante Petro Pázmán Georgius Káldi, societatis Jesu († 1634. 30. Oct. anno aetatis 64), e versione vulgata, edidit autem idem archiepiscopus et cardinalis Wiennae 1626, postquam a doctis theologis, uti in approbatione dicit, revisa et approbata fuisset. Hanc versionem duorum jam saeculorum communi usu probatam synodus nationalis Posoniensis 1822-o ad hodiernum labium hungaricum aptari, et novis curis imprimi voluit, quod tamen, licet exemplaria jam rara sint, usque hodie effectu caret. *)

Recenti tempore, 1834 et seqq. gloriosae memoriae episcopus Quinque-ecclesiarum L. B. Ignatius Szepesy adjuvantibus pluribus presbyteris novam paravit versionem hungaricam, et profusis ingenti liberalitate 12,000 fl. c. m. in 6 vastis tomis impressam, et eleganter ornatam per totum regnum dono distribuit. Praeter versionem multa continet utilia instar introductionis in sacros libros, scholia quoque ad sensum illustrandum copiosa, et loca parallela; omnes tamen defectus, fatente ipso episcopo, vitari non poterant. Laborat frequentibus typi erroribus, et ab hodierna orthographia passim vehementer abludit. Anno 1851 versio Szepesyana per Josephum Szabó revisa cum approbatione J. Kopácsy archiepiscopi denuo edita fuit.

§. 41.

Polyglotta.

Versiones variarum lingvarum cum originali textu biblico in unum corpus parallele compositae efficiunt biblia polyglotta. Hujusmodi quatuor sunt celebriora, quae totam scripturam v. et n. f. continent; opera vere immortali me-

*) Indolem et historiam versionis Káldianae, et tentatas varias ejusdem emendationes enarravi in paginis, quae inscribuntur „Religio“ a. 1854.

memoria digna, in quibus ars typothetica cum sacra eruditione; grandis liberalitas cum amore verbi Dei; patientia laboris cum insigni philologia foedus admirabile conseruere. Agmen ducunt:

1. Polyglotta Complutensia, de quibus jam egimus, impressa a 1514—1517. In veteri testamento praeter textum hebraicum continent versionem 70, et vulgatam in 3 columnis parallelis, praeterea in pentateucho infra textum Thargum Onkelosi cum versione latina. Volumina sunt 6 in folio.

2. Complutensibus eodem adhuc saeculo successerunt polyglotta Antverpiensia ab a. 1569—1572 edita, 8 voluminum in folio „Philippi II. regis catholici pietate et studio ad sacrosanctae ecclesiae usum“ uti titulus habet. In his ad textum Complutensium accesserunt paraphrases chaldaicae reliquae. Curam editionis gesserunt plures eruditi, quos inter ab eruditione biblica celeber Benedictus Arias Montanus, adjutus ope multorum etiam exterorum, inter quos cardinalis Granvella versionem Alexandrinam codicis vaticani, suo sumtu descriptam, misit. Impressa sunt nonnisi 500 exempla, (quorum pars in maritima transportatione una cum navi perivit), typo tam eleganti, ut communem admirationem excitaret.

Reliqua duo polyglotta sunt producta saeculi 17-i. In specie

3. Parisiensia, 9 tomis in folio absoluta a. 1628—1645 sumtibus Michaelis le Jay, a quo cardinalis Richelieu frustra conabatur gloriam operis 100,000 coronatorum imperialium redimere. Opus est e splendidissimis, quae unquam ars typographica produxit. Praeter argumentum polyglottorum Complutensium et Antverpiensium continet versionem Peschito et arabicam cum pentateucho samaritano. Vitio ei vertitur incommoda operis dispositio, tum, quod editionem Romanam versionis Alexandrinae, et Clementinam vulgatae neglexerit.

https://data.onb.ac.at/rep/107759AA Seite 153 von 294